




XXXIV
PROCL.
Inv. PATR.


Procli Lycij









XXXIV
PROCL
Ins. PATR

PROCLI LYCII DIADOCHI.

PLATONICI PHILOSOPHI EMINENTISSIMI.

ELEMENTA THEOLOGICA, ET PHYSICA.

OPVS OMNI ADMIRATIONE PROSEQVENDVM.

QVAE FRANCISCVS PATRICIVS DE GRAECIS, FECIT LATINA.





FERRARIAE, APVD DOMINICVM MAMARELLVM.

M D LXXXIII.

Superiorum permissu.



ANTONIO MARIAE PAROLARIO,

MEDICO EXIMIO, ATQVE AMICO SINGVLARI.

Franciscus Patricius. S.P.D.



OLVMINA *tria, eaque exigua, de veterum mouimẽtis, tempus edax rerum, reliqua nobis fecit omni animi admiratione prosequenda. Libelli scilicet aliquot Hermetis Trismegisti, scriptoris vetustissimi, quibus humanæ sapientiæ vniuersæ principia, non Pythagorico more, sed didascalico, tradita continentur. Quos auctos, & innumeris locis emendatos propediem dabimus. Sunt deinde libelli XIIII. titulo Mysticæ philosophiæ secundum Aegyptios Romæ olim primò editi, postea Parisiis, titulo de Secretiore parte diuinæ sapientiæ, a Iacobo Carpentario editi & illustrati. Qui quamquam Aristoteli sint attributi, nec principia tamen nec media, nec fines Aristotelicos vllos habent. sunt tamen a Platonis auditore quodam, cuius nomen temporum in-*

turia perijt, conſcripti. Sunt præterea Procli hæc Theologica elementa, quæ modo a nobis latina facta, tibi, ac ſapientiæ ſtudioſis dantur. Procli inquam Diadochi, qui præter reliquam admirabilem eius eruditionem, Mathematicus, & Platonicus, hoc eſt diuinus, philoſophus fuit maximus. Indicant illud, quæ in Euclidem, ac Ptolemeum commentaria conſcripſit: hoc vero, commentaria in Timæum, in primum Alcibiadem, in Cratilum, in Parmenidem, quæſtiones in Rempub. & libri ſex de Platonis Theologia, & hæc eiuſdem Theologiæ elementa. Quæ ſanè omnia extant, ſed maior eorum pars, nondum impreſſa typis, nulla vero adhuc de Græcis verſa eſt. reliqua eius in omnes Platonis Dialogos, & alterius generis ſcripta perierunt. Extant tamen in hoc Platonicæ Philoſophiæ genere, etiam Hermiæ, qui fuit Ammonij pater, commentaria elegantiſſima in Phædrum, necnon Olympiodori, cuiuſdam longe doctiſſimi, excerpta quædam ex eius commentarijs in Phædonem ac Philebum, & integra in Gorgiam. Sed omniũ eminentiſſimæ, Damaſcij Queſtiones de Principijs rerum ſunt. Quæ omnia ſi publicè viſerentur, ardentiſſimos diuinæ ſapientiæ amores excitarent, in ijs pectoribus, quæ non argutandi cauſa, ſed modo hoc vnum, vt ſapiant, philoſophiæ operam nauant. Quæ, ſi aliquando viri alicuius verè viri, opere quamuis laborioſo, glorioſo tamen in lucem prodeant, apparebit tandem, quanta ſapientiæ pars tenebris obruta iaceat, dum vſitatam hanc in ſcholis ſolam ſequimur, & amamus ſapientiam. Cui rei manus dare, quantum uitæ & ocij ſuppetet, non deeſt nobis

animus

animus ingens. Utinam vita tranquillior, & fortuna ad uersa minus nobis contigisset, id iam forte totum cõfectum esset. Verum ad Proclum redeamus. cuius elementa Theologica tibi Parolari eruditissime animo libenti damus. Vti cognoscas, quanto ingenij acumine mathematico more, Theologia Platonis uniuersa mira demonstrationum necessitate sit demonstrata. addita sunt physica quoque elementa, ex Aristotelis dogmatibus desumpta, eodemque modo tradita: quo modo, res nulla alia quàm mathematica, a quoquam unquam alio, est tractata: & quæ suo hoc exemplo sublimium philosophorum ingenia, in reliquis philosophiæ partibus mouere queat ad imitandum. & præsertim te Parolari, qui etiam adolescentulus eximia ingenij laude claruisti, & omni postea ætate, ingenij tui sublimitate, & docendo, & medicinam faciendo in eum gloriæ locum es euectus, ut te vix quisquam alius consequatur. Quod si feceris, Hippocratem ipsum, vel æquaueris, vel etiam superaueris. Me interim redama.

Dat. Ferrariæ die x. Maij M D LXXXIII.

PROCLI LYCII DIADOCHI
ELEMENTORVM THEOLOGICORVM.
PROPOSITIONES. CCXI.
AD INSTAR MATHEMATICARVM DEMONSTRATAE.

DE VNO.

PROPOSITIO. I.

OMnis multitudo quadam tenus particeps est vnius.

DEMONSTRATIO.

NAmque si nullatenus participaret, nec tota multitudo vnum erit, neque singula eorum ex quibus est multitudo. Sed erit illorum etiam vnumquodque multitudo, atque hoc in infinitum. & horũ infinitorũ vnumquodque erit rursus multitudo infinita. Nam si nullum vlla ex parte vnũ participet, nec totum ipsum, nec singula quæ in ipso sunt, infinitum erit omnino, & per omne. Quodcunque enim singulum acceperis de multis, vel vnum erit, vel non unum. At si non vnum, vel multa, vel nihil. At si unumquodque est nihil, & id, quod ex eis est, erit nihil. Si vero multa, ex infinities infinitis vnumquodque est. Hæc vero impossibilia sunt. Neque enim ex infinities infinitis entium aliquod est. Infinito enim maius nõ est. Quod vero ex omnibus est, maius est vnoquoque. Neque ex nihilo componi quipiam potest. Omnis ergo multitudo quadam tenus particeps est vnius.

PROPOSITIO. II.

OMne particeps vnius, & vnum est, & non vnum.

DEMONSTRATIO.

QVod si nõ; est ipsunũ. Participat. n. unũ, aliud q. d existẽs ab uno. & patitur vnũ per participationẽ, & sustinuit vnũ fieri. At vero, si nihil est præter vnũ, & solum est vnum, non participabit vnum. sed ipsunum erit. Si vero

est

est aliquid præter illud quod non est vnum, particeps vnius, & non vnum est:& vnum,nō id quod ipsunum vocamus, sed vnum ens,& particeps vnius.Hoc ergo non vnum est. neque ipsunum:unum tamen,ens simul & particeps vnius, & ꝓpterea non vnum per se existens,vnum est, & nō vnū:aliud quid existens præter vnum,quo quidem superat, non unum; quo vero patitur,vnum.

Omne ergo particeps vnius,& vnum est,& non unum.

PROPOSITIO. III.

OMne quod fit vnum,participatione vnius fit vnū, & quatenus passum est participationem vnius,vnum est.

DEMONSTRATIO.

SI enī fiant vnū,quæ nō sunt vnū; inter se coeuntia nimirū & ad inuicem cōicantia fiunt vnum,& sustinēt vnius præsentiam,non existentia ipsunum.Participant ergo vnum,eatenus,quatenus patiuntur vnum fieri.Si enim iam sunt vnū, non fiunt unum.Quod enim est,nō fit,id quod iam est.Quòd si fiant ex non vno,& priuatione,primò habebunt unum, ingenerato aliquo in illis vno.

PROPOSITIO. IIII.

OMne vnitum,aliud est ab ipsuno.

DEMONSTRATIO.

NAm si est vnitum,particeps erit vnius,eatenus quatenus vnitum dicitur. Particeps autem vnius, & vnum est, & nō vnum.Ipsunum vero,& vnum nequaquàm est, & nō vnū. Namque si hoc etiam sit,& vnum,& non unum, & id quod in ipso rursus unum est,vtrumque habebit,& hoc in infinitum; cum nullum ipsunum sit,in quo sisti posſit. Sed omne & vnū fuerit,& nō unum.Est ergo vnitum,quippiam aliud ab uno. Nam si vnitum,& vnum idem essent multitudo infinita erit, & similiter vnumquodque eorum ex quibus est,id quod vnitum est.

PROPOSITIO. V.

OMnis multitudo,secunda est ab vno.

PROCLI DIADOCHI

DEMONSTRATIO.

NAmque, si multitudo esset ante unũ, non participaret vnũ. Si quidẽ antequã fiat vnũ, est illa multitudo. Nondũ entis namque, non fit particeps. qm̃ qđ participat unum, & unum est, & nõ unum, nondũ vero subſtitit unum si prima sit multitudo. Sed impossibile est, esse aliquam multitudinẽ, quæ nullatenus participet unum. Non ergo ante unum multitudo. Sin autem natura simul cum uno sit, & eiusdem ordinis (tpe. n. nihil prohibet) neque unum per se, multa esse potest, neque multitudo unum est, ut contradistincta simul sint natura. Si quidem neutrum altero prius est, uel posterius. Multitudo ergo, non erit per se unum, & eorum unumqđq; quæ in ipsa sunt, non unum, & hoc in infinitum; Quod impossibile est. Participat ergo unum sui natura, nec quicquàm ipsius poterit accipi, quod non sit unum. Nam si non unũ esset ex infinitis infinitum esset, ut est demonstratum. Omnino ergo participat unum. Si uero unum, quod ipsunum est, nullatenus participat multitudinem, erit multitudo, omnino posterior uno, participans quidem unum, non tamen ab uno participata. Si uero etiam unũ participat multitudinem, secundum quidem existentiam, ut unum substans. secundum autem participationem non unum, multiplicatum erit ipsunum, sicuti multitudo unita per unum est. Communicant ergo & unum cum multitudine, & multitudo cum uno. Coeuntia uero & communicantia quadamtenus ad inuicem, si ab alio congregantur, illud ante ipsa est. Si uero ipsa congregant se ipsa non opponũtur ad inuicem. Opposita namque, non properant in se se mutuo. Sin aũt unũ, & multitudo contradiuiduntur, & multitudo, quatenus multitudo, non est unum, & unũ quatenus unũ est, non est multitudo. Nec alterũ in altero fit: nãque unum simul & duo essent. Simul. n. rõnale & irrationale in genere sunt, ut contradistincta. At si erit aliquid ante ipsa, quod ipsa congreget, id ipsum, uel unum erit, uel non unum. Sed si non unum, uel multa, uel nihil. Non autem est multa; ne sit ante unum, multitudo. Neque etiam nihil. Quo modo namque cõgregabit, quod est nihil? Vnum ergo solum. Nõ enim & hoc unum, multa est, ne in infinitum progrediamur. Est ergo ipsunum; & omnis multitudo ab ipsuno est.

PRO-

PROPOSITIO. VI.

OMnis multitudo, vel ex vnitis est, vel ex vnitatibus.

DEMONSTRATIO.

NAm vnumquòdque multorum, quòd non sit multitudo solum, clarum est. & huius rursus multitudinis, vnumquodque, multitudinem non esse, itidem est clarum. Si vero non est multitudo tantum, vel vnitum est, vel vnitates. Ac quidem si participat vnum, vnita sunt. Si vero, ex quibus primò vnitum est, vnitates. Nam si est ipsunũ, est etiam quod primò ipsum participat, & primò vnitum est. Hoc autem ex vnitatibus est. Si namque ex vnitis, rursus vnita ex aliquibus. & id in infinitum. Oportet autem esse primo vnitum ex vnitatibus. Atque ita inuenimus quod a principio proposuimus.

DE PRODVCENTIBVS AC PRODVCTIS.

PROPOSITIO. VII.

OMne productiuum alterius, præstantius est natura producti.

DEMONSTRATIO.

NAm vel præstantius est, vel deterius, vel æquale. Esto prius æquale. Quod ergo ab hoc productum est, vel potentiam habet & ipsum, productiuam alterius alicuius, vel sterile existit omnino. At si sterile sit, hoc ipso, deterius est, producente. & est inæquale illi, quod est fœcundum, & potentiam faciendi, habens: inefficax cum sit illud. Quòd si & ipsum est aliorum productiuum, vel sibi æquale producit (& hoc similiter in omnibus, & erunt entia omnia æqualia adinuicem. & nihil erit alio præstantius, cum semper, productiuum, æquale sibi, ipsum productum constituat) vel inæquale. Si vero hoc, non iam æquale erit producenti se. Potẽtiarum enim æqualium, est, æqualia facere. Quæ vero ab his, inæqualia adinuicem, siquidem producens illi, quod ante se est, æquale est. sibi vero, quod post ipsum est, inæquale est.

Non ergo æquale esse oportet productum producenti. Quin imò, neque deterius erit vnquàm producens. Si enim producens, essentiam producto tribuit, etiam potentiam secũdum essentiam largitur. Si autem ipsum, productiuum est potentiæ omnis, ei quod est post se, se ipsum etiam poterit facere tale, quale illud est. Si vero hoc, faciet etiam se ipsum potentius. Neque enim impotentia prohibet, cum adsit factiua potentia, neque etiam prohibet non velle. Omnia enim bonum appetunt secundum naturam. Itaque si aliud potest perfectius efficere etiam se ipsum perfecerit, ante quàm illud perficiat, quod est post ipsum. Neque ergo producenti æquale est productum, neque præstantius. Omnino ergo producens, præstantius est producti natura.

DE PRIMO BONO, QVOD ETIAM IPSVM BONVM VOCATVR.

PROPOSITIO. VIII.

OMnib. quomodocunque bonum participantibus, præcedit primo bonum, & quod nihil est aliud, quàm bonum.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnia entia bonum appetunt, clarum est, quòd primo bonum supra entia est. nam si idem cum aliquo entium sit, vel idem est ens, & ipsum bonum, hoc ens, nõ amplius appetens erit boni, cum ipsum, bonum ipsum existat. Quod enim appetit aliquid, indigum est illius quod appetit, & ab appetito aliud, & peregrinum. Vel aliud quidem sunt, atque aliud. & hoc ens quidem participabit, bonum vero ipsum, erit participatum in eo. Aliquod ergo bonum est, in aliquo participantium & quod solum participans appetit. Sed non, simpliciter bonum, & quod omnia entia appetunt. Hoc enim est omnibus entibus commune appetibile. Quod vero in aliquo gignitur, illius solum est participantis. Primò ergo bonum, nihil aliud est, quàm bonum. Si quid eñ aliud addideris, additione, diminues ipsum bonum, aliquod bonum efficiens, pro eo bono quod est simpliciter bonum.

Quod

Quod enim additur cum non ſit bonum ipſum, ſed minus il lo,ſua eſſentia bonum ipſum diminuit.

DE SVFFICIENTI.

PROPOSITIO. IX.

OMne ſufficiens,vel ſecundum eſſentiam,vel ſecundum actionem præſtantius eſt inſufficiente,ab alia cauſa dependentem habente perfectionis cauſam.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnia entia bonum,ſecundum naturam appetũt, & aliud quidem ſibi ſuppeditat bonum, aliud vero indignum alterius eſt, illud ſanè præſentem habet boni cauſam, hoc vero ſeorſum exiſtentem. Quanto ergo vicinius hoc, quod appetibile præbet,tanto præſtantius fuerit eo quod ſeparata cauſa indiget,& aliunde ſuſcipiente perfectionem exiſtentiæ,vel actionis. Præterea & ſimile,& diminutum & ſimilius eſt,ſufficiens,ipſi bono. diminutum eo quòd participat bonum,& quia non ſit ipſum bonum primum.Cognatum tamen aliquo modo eſt illi, in quantum per ſe ipſum poteſt bonum habere. Participans vero,& per aliud participans,magis diſtat a primò bono quod nihil eſt aliud , quam bonum , &c.

PROPOSITIO. X.

OMne ſufficiens, ſimpliciter bono,deterius eſt.

DEMONSTRATIO.

QVid enim eſt aliud,ſufficiens, quàm id quod apud ſe ipſum,& in ſeipſo bonum poſsidet ? hoc vero iam plenum eſt bono,& participans. Sed non ipſum ſimpliciter bonum eſt. Illud enim & ipſo participare, & ipſo plenum eſſe,præſtantius eſt,ut eſt demonſtratum. Si ergo ſufficiens , ſe ſe impleuit bono , id a quo impleuit ſe ſe , prȩſtantius fuerit, ſufficiente , & ſupra ſufficientiam. neque indigum eſt alicuius , ſimpliciter bonum eſt. Non enim appetit aliud, eſſet enim defectiuum boni, ſecundum appetitio-

nem, nec ſufficiens, eſſet enim plenum bono, & non ipſum bonum primo.

DE CAVSA.

PROPOSITIO. XI.

OMnia entia proueniunt ab una cauſa prima.

DEMONSTRATIO.

VEl enim nullius entium cauſa eſt, vel circulo, cauſę sũt, cum terminata ſint omnia, vel in infinitum eſt aſcẽſus. & alius alia eſt cauſa, & nullibi ſiſtetur eſsentię pręſubſiſtentia. Sed ſi nullius entium fuerit cauſa, neque ordo erit ſecundorum & primorum; perficientium, & perfectorum, ornantium, & ornatorum, gignentium & generatorum, agentium, & patientium. Neque ſcientia entium ullius. Cauſarum eñ notitia ſcientię eſt opus. & tunc dicimus nos ſcire, cum cauſas cognoſcimus entium. Si vero circulo circumeunt cauſæ. eędẽ erunt & priores, & poſteriores. & potentiores & debiliores. Omne [illegible] im producens, pręſtantius eſt producti natura. dif[illegible] autem nihil, per plura, vel per pauciora media, cõgiunge[illegible] cauſato cauſam, & facere ſub illa. Intermediorum enim omnium quorum eſt cauſa pręſtantior erit, & quanto plura media, tanto magis cauſa. Si vero in infinitum cauſarum additio, & aliud ab alio ſemper; rurſus nullius ſcientia erit. Infinitorum [illegible] nim nullius eſt cognitio. Ignoratis autem cauſis, neq[illegible] quentium ſcientia erit. Si ergo, & cauſam entium oportet eſſe, & diſtinctæ ſunt cauſę a cauſatis, neque in [illegible]nitum eſt aſcenſus; erit cauſa prima, entiũ, a qua velut [illegible] ce proueniunt ſingula, alia quidem propè illam [illegible] a vero longinquius. Namque vnum oportere eſ[illegible] princip[illegible], demonſtratum eſt, quoniam omnis multitudo, ſecunda, ſubſtitit ab uno.

DE BONO.

PROPOSITIO. XII.

OMnium entium principium, & causa primisima ipsum bonum est.

DEMONSTRATIO.

SI enim ab una causa, omnia proueniũt, causam illam, vel ipsum bonum oportet dicere, vel ipso bono prestantius. Sed si illa præstantior est bono, nunquid trãsit aliquid etiam ab illa in entia, & in naturam entium, vel nihil? Et quidem si nihil, absurdum. neque enim amplius conseruauerimus ipsum in ordine causæ. Cum oporteat vbique adesse aliquid causatis a causa. & excellenter a primisima, a qua omnia pẽdent, & per quam singula entium sunt. Si vero entibus participatio etiam illius est, sicuti & ipsius boni, erit aliquid bonitate præstantius, in entia penetrans a primisima causa. Non enim cum præstantior sit, & supra ipsum bonum, deterius aliquid secundis largietur, ijs donis quę id quod post ipsam est, largitur. At quid nam fiat ipsa bonitate præstantius? quando hoc ipsum, PRAESTANTIVS dicimus esse id, quod bonum magis participat. Si ergo neque præstantius dicetur non bonum, ipso bono; omnino est secundum. Si vero entia quoque omnia bonum appetunt, quomodo ante hanc causam esse aliquid potest? Si enim & illud appetit, quomodo bonum, maximè? Si vero non appetit, quomodo, omnium causam, non appetunt, entia progressa ab ipsa? Si vero ipsum bonum est, a quo omnia entia pendent, principium, & causa primisima omnium, est, ipsum bonum.

PROPOSITIO. XIII.

OMne bonum, vnitiuum est eorum quæ participant ipsum, & omnis vnio, bonum. & ipsum bonum, cum ipso uno idem.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

SI enim bonum seruatiuum est entium omniũ, atque ideo appetibile existit omnibus, seruatiuum, autem & contẽtiuum singulorum essentiæ, est ipsunum. (Vno enim seruantur omnia) & dispersio, singula dimouet ab essentia. Ipsum vero bonum, quibus adfuerit, ea unum efficit, & cõtinet per vnionem. At si vnum est congregatiuum, & contentiuum, singula entium pficiet, per sui præsentiam. & bonum igitur, omnibus est, vnitum esse. Si vero & vnio bonum per se est, & bonum, vnificum est, simpliciter bonum, & simpliciter vnũ, idem. Vniens simul & bonificans entia. Vnde etiam, ea quæ ab ipso bono, quodammodo decidunt, etiam vnius priuãtur participatione, & quæ vno expertia fiunt, seiunctione repleta, etiam bono priuantur eodem modo.

CORRELARIVM.

EST ergo, & bonitas, vnio & vnio, bonitas; & bonum est vnum, & vnum est primo bonum.

DE IMMOBILI, ET SEMOBILI PRINCIPIO, VEL CAVSA.

PROPOSITIO. XIV.

OMne ens, vel immobile est, vel motum; & si motum, vel a se, uel ab alio.

DEMONSTRATIO.

AC si a se, semobile est, si vero ab alio, (vt ita dicam) alimobile est. Omne ergo, vel immobile est, vel semobile, vel alimobile. Necesse enim est cum alimobilia sint, esse & immobile, & inter hæc, semobile. Si enim omne alimobile, ab alio motum mouetur, vel circulo motiones sunt, vel in infinitum. Sed neque circulo, neque in infinitum, siquidem principio definita sunt entia oĩa, & mouens, moto præstantius est. Erit ergo aliquid immobile, primum mouens. Verum si hoc, necesse est & semobile esse. Nam sistãtur vniuersa, quid nam erit quod primò moueatur? neque enim immobile ipsum, nõ enim natum erit aptum. Neque alimobile, ab alio namque mouetur. Relinquitur ergo semobile esse, quod

primò

primò moueatur, quãdoquidem hoc est, quod ea quæ alimobilia sunt, immobili coniungit medium quodammodo existens, mouens simul & motum. Illorum enim alterum mouet solum, alterum mouetur solum. Omne ergo ens, vel immobile est, vel semobile, vel alimobile.

CORRELARIVM.

EX his sanè etiam illud clarum, quod eorum quæ mouentur, semobile primum est, mouentium vero, immobile.

DE INCORPOREA ESSENTIA, ET QVID PROPRIVM IPSIVS.

PROPOSITIO. XV.

OMne quod in se conuertitur, incorporeum est.

DEMONSTRATIO.

NVllum enim corporum aptum natum est in se conuerti. Si enim quod vertitur ad aliquid, coniungitur illi ad quod vertitur, clarum sanè quod etiam partes corporis omnes, ad omnes illius cõiunget, quod in se vertitur. Hoc enim est, in se conuerti, quando vnum, vtræque fiunt, & id quod cõuertitur, & id ad quod conuertitur. Imposibile autem est, id in corpore, & omnino in partibilibus omnibus. Nõ enim totum, toti sibi coniungitur, id quod est partibile, ob partium separationem, aliarum alibi sitarum. Nullum ergo corpus in se conuerti natum est, ita ut totum conuertatur ad totum. Si quid ergo in se conuersiuum est, incorporeum est, & impartibile.

PROPOSITIO. XVI.

OMne quod in se cõuertitur, separatam essentiam habet ab omni corpore.

DEMONSTRATIO.

SI enim inseparabile sit a corpore quouis, non habebit aliquam actionem a corpore separabilem. Imposibile est,

si enim

si enim inseparabilis essentia a corporibus sit, essentialem actionem esse separabilem.esset enim ita actio præstantior, q̃ essentia.Si quidem hęc corporibus egeat,illa vero sufficiens; sui ipsius sit,& non corporum. Si ergo aliquid,secundum essentiam est inseparabile, secundum actionem quoque, similiter est,vel etiam magis inseparabile . Si vero hoc,non conuertitur in se. Quod enim in se conuertitur,aliud a corpore existés,actionem habet separatam a corpore,neque per corpus,;neque cum corpore fit. Si quidem actio , & id ad quod actio est, nihil indiget corpore. Separabile ergo penitus a corporibus est,id quod in se conuertitur.

PROPOSITIO. XVII.

OMne se mouens primo, in se conuersiuum est.

DEMONSTRATIO.

SI enim mouet se, etiam motrix actio eius in se est, & vnũ simul est mouens,& motum . Vel enim parte quidem mouet,parte vero mouetur,vel totum mouet & mouetur, vel totum quidem mouet,parte vero mouetur,vel èconuerso. Sed si pars alia est mouens,pars alia quę mouetur, non erit semobile per se,ex non semobilibus subsistens. Sed apparet quidem semobile, non est autem secundum esentiam tale . Si vero totum mouet,pars vero mouetur,vel ècõuerso,erit aliqua pars in vtrisque,secundum vnum , simul mouens & mota. & hoc primò semobile. Si autem vnum & idem mouet,& mouetur,mouendi actionem ad se habebit, motiuum sui ipsius existens,ad quod vero agit,in id conuersum est. Omne ergo semouens primo, in se conuersiuum est.

PROPOSITIO. XVIII.

OMne quod esse alijs largitur , ipsum primo est id, quod tribuit donatis.

DEMONSTRATIO.

SI enim ipsum esse donat, etiam a sua essentia facit largitionem. Quod vero donat, deterius est sui essentia . Qđ autem est, præstantius est, & perfectius. Siquidem om-

nis

nis conditor alicuius,præſtantior eſt cõditi natura,quod ergo in ipſo donatore prꝫexiſtit,ſublimius eſt ipſo dono.Et eſt quidem quod illud, ſed non idem illi. primo enim illud eſt, hoc autem ſecundo. Neceſſe enim eſt, vel idem eſſe vtrumque,& unam rationem amborũ, vel nihil eſſe commune, aut idem in ambobus, vel hoc quidem primo eſſe, illud vero ſecundo. Verum ſi eadem ratio: non amplius hoc quidẽ cauſa erit,hoc autem effectus,neque hoc quidem in ſe, illud uero in donato,neque hoc quidem effector, illud vero effectũ. Si vero nihil habent idem; nequaquàm eò quòd ſit alterum ſubſiſtet reliquum,nihil ad eſſe illius communicans. Relinquitur ergo,hoc eſſe primo,quod largitur; illud vero ſecundo, quod largitum eſt, in quibus ipſo eſſe alterum,in altero donatur.

PROPOSITIO. XIX.

OMne quod primò inexiſtit alicui naturæ entium, omnibus adeſt,ſecundum illam naturam ordinatis, vna ratione,& eodem modo.

DEMONSTRATIO.

SI enim non omnibus eodem modo, ſed his quidem, his vero nequaquàm; clarum quòd non erat in illa natura primò. Sed in alijs quidem primò,in alijs vero,quæ aliquando participant ſecundò. Quod enim aliquando ſubſiſtens, eſt,aliquando vero non,non primo, neque per ſe exiſtit, ſed aduenticium eſt,& aliunde ſuperueniens, in quibus ita inſit,&c.

GRADVS ENTIVM.

PROPOSITIO. XX.

SVperior omnibus corporibus eſt animæ eſſentia.& omnibus animabus ſuperior eſt,intellectualis natura,& omnibus intellectualibus ſubſtantijs ſuperius eſt ipſum unum.

DEMONSTRATIO.

OMne enim corpus mobile eſt ab alio,mouere uero ſeipſum non eſt natum. Sed animæ participatione moue-

tur ex se,& uiuit per animam, & præsente quidem anima,semobile quodam modo est, absente vero, alimobile. veluti hanc habens per se naturam, anima vero semobilem essentiam sortita sit. Cui enim superuenit, huic impertit semobilitatem. quod vero impertitur ipso esse, hoc multo prius ipsa est. Supra ergo corpora est, tamquàm semobilis per essentiam. illis per participationem semobilibus factis. Rursus, anima mota a se ipsa, secundum habet ordinem ab immobili natura, actu immobili existente, quia omnibus quidem motis præcedit semobile, omnibus vero mouentibus, immobile. Si ergo anima mota a se ipsa, alia mouet, oportet ante ipsam esse, immobiliter mouens. Mens vero mouet, immobilis existens, & semper secundum eadem agens. Etenim anima, per mentem participat semper intelligere. Sicuti corpus per animam, se ipsum mouere. Si enim esset in anima primò, semper intelligere, omnibus inesset animabus. Sicuti etiam se mouere. Non ergo animæ hoc inest primò. Oportet ergo ante ipsam esse, primò intellectiuum. Ante animas ergo, Mens est. At vero & ante Mentem, vnum. Mens enim etiamsi immobilis sit, non tamen vnum est. Intelligit enim se ipsam, & agit circa se ipsam. At unum participant, omnia quomodocunque entia, mentem vero non omnia. Quibus enim adfuerit mentis portio, hæc cognitionem participare necesse est, quia intellectualis cognitio est principium & causa prima, cognoscendi. Superius ergo mente, vnum est. Nec amplius, vno, aliud superius. Idem enim vnum, & ipsumbonum. Ipsum vero bonum, principiũ omnium, vt demonstratum est.

QVOD MENS NON SIT PRIMA CAVSA.

PROPOSITIO. XXI.

OMnis ordo ab vnitate incipiens progreditur in multitudinem aliquam, vnitati consortem. & omnis ordinis multitudo in vnam reducitur vnitatem.

DEMONSTRATIO.

VNitas enim, principij habens rationem, progignit propriam sibi multitudinem. Proinde vna catena, & vnus ordo,

ordo, uniuersus, ab vnitate habet descensum in multitudinem. Nec enim erit ordo, neque catena, si unitas fuerit sterilis per se. Multitudo vero reducitur rursus in vnam communem coordinatorum omnium causam. Quod enim est in omni multitudine idem, non ab uno eorum, quæ sunt in multitudine, progressum habuit. Nam quod ab vno ex multis est, non est commune omnibus. Sed illius tantum proprietatis peculiare est. Cum ergo secundum vnumquemque ordinem, sit quædam & communio, & cohærentia, & identitas, ob quam, & hæc coordinata dicuntur, & illa alterius ordinis, clarum quòd ab uno principio prouenit omni ordini, ut sit idem. Est ergo vnitas vna ante multitudinem, in vnoquoque ordine, vnam rationem, & seriem, ordinatis in ipsa præbens, tum ad inuicem, tum etiam ad totum. Aliud quidem esto causa alij, eorum quæ sub eadem catena sunt, causam vero vt vna sit catena, necesse est ante omnia esse, & ab ipsa, omnia vt coordinata gigni, non ut hoc aliquid vnumquodque est, sed vt huiusce ordinis existens.

CORRELARIVM.

EX his sanè clarum est, quod & naturæ corporis inest, & vnum & multitudo, & vna natura, multas habet cohærentes, & multæ naturæ, vna vniuersi natura. & ordini animarum adest, ab vna incipere anima prima, & in multitudinem animarum descendere, & multitudinem in unam reducere. Et intellectuali essentiæ, vnitatem esse intellectualem. & mentium multitudo ex vna mente, proueniēs, & in illam cōuersa. & vni ei quod ante omnia est multitudo vnitatum, & vnitatibus, in vnum reditus. Post ergo vnum quod est primum, vnitates; & post mentem primam, mentes. & post animam primam, animæ. & post vniuersam naturam, naturæ.

PROPOSITIO. XXII.

OMne primo & principaliter existens, secundum vnumquemque ordinem, vnum est, neque duo, neque plura duobus. Sed vnigenitum omne.

DEMONSTRATIO.

SVnto enim si possibile est duo; hoc est, etiamsi plures cõcesserimus esse, principales causas. idem impossibile est. Etenim idem impossibile, etiamsi sint plures. Vel enim utrũque horum est, quod ex ambobus. Sed si quod ex ambobus, vnum fuerit rursus, & non duo prima. Si vero vnum, quòd vel ex altero alterum est, atque ita nõ est primum vtrumque, vel æque ambo. Sed si æque, neutrum iam erit primò. Si em̃ alterum primò, hoc uero, non idem sit cum altero, quid erit ordinis illius? Quod enim nihil aliud est, quàm quod dicitur, id est primò. Horum autem utrumque, alterum existẽs ab altero, est simul & non est, quod dicitur. Si vero hæc differunt quidem ad inuicem, non autem in quantum est, quod dicitur primò, differunt. hoc enim primò idem passum est, non ambo erunt primò, sed illud cuius ambo participantia, primo esse dicuntur.

COROLARIVM.

EX his sanè clarum est, quòd & primò ens, vnum est solum & non duo sunt, primò entia, vel plura. Et primissima mens, vna sola, sed non duæ primæ mentes. Et primissima anima, vna. & in singulis speciebus itidem. Veluti primò pulchrum, primò æquale, & in omnibus similiter. Sic vero etiam animalis forma, una prima, & hominis, eadem enim demonstratio.

DE IMPARTICIPABILI, PARTICIPANTE, PARTICIPATO.

PROPOSITIO. XXIII.

OMne imparticipabile, producit a se ipso participãtia, & omnes participantes substantiæ, in imparticipabiles existentias reducuntur.

DEMONSTRATIO.

IMparticipabile enim unitatis habens rationem, vt sui ipsius existens, & non alius, & ut separatum a participantibus

bus progignit ea quæ participare possunt. Vel enim sterile perstabit in se, & nihil habebit honorabile. Vel dabit aliquid a se ipso. Et quod accipit, participauit, & quod datum est, subsistit participanter. Omne vero participans alicuius, factum ab eo a quo particeps fit, secundum est, ab eo, quod omnibus similiter adest, & omnia a se implet. Quod enim in uno est, in alijs non est, & quod omnibus, similiter adest, ut omnia illustret, non in uno est, sed ante omnia. Vel enim in omnibus est, vel in uno ex omnibus, vel ante omnia. Sed quod in omnibus est, partitum in omnia, rursus alio indigebit, quod, illud partitum vniat, ac nō amplius idem participabunt omnia. Sed hoc quidem alio; illud vero alio, si unum partiatur. Si vero in uno ex omnibus, non amplius omnium erit, sed vnius. Si vero etiam cōmune participare potētium, & idem omnium, ante omnia erit, at hoc imparticipabile est.

PROPOSITIO. XXIV.

OMne participans, participato inferius est, & participatum imparticipabili.

DEMONSTRATIO.

PArticipans enim ante participationem imperfectum existens, perfectum vero participatione factum, secundum est omnino a participato, quatenus perfectum est, participans. Qua enim imperfectum erat, hac participato quod ipsum facit perfectum, inferius est. Participatum uero, alicuius existens, & non omnium, eò quòd omnium est, & non alicuius, rursus remissiorem sortitur existentiam. Hoc enim omnium causæ cognatius, illud vero minus cognatum. Præcedit ergo imparticipabile, participatis. hæc vero participantibus. Et ut summatim dicatur. Illud quidē, est vnum ante multa; participatum uero in multis, vnum simul & non unum. participans verc omne, non unum simul & vnum.

DE

PROCLI DIADOCHI DE PERFECTO.

PROPOSITIO. XXV.

OMne perfectum in proles progreditur, quas ipsum producere potest, imitans vnum vniuersorum principiũ.

DEMONSTRATIO.

VT enim illud ob ipsius bonitatem, omnium entium vniformiter constitutiuum est. Idem enim est ipsum bonũ & ipsum vnum. Ita ut & boniforme & vniforme idem. Sic & ea quæ sunt post ipsum, ob propriam perfectionem alia generare properant, imminuta ab ipsorum essentia. Quæ perfectio, boni ipsius portio quædam est. & perfectum quatenus perfectum imitatur ipsum bonum. Hoc vero omnium erat constitutiuum. Itaque & perfectum, eorum quæ potest, productiuum est secundum naturam, & perfectius quanto sanè fuerit perfectius, tanto est plurium causa. Perfectius namque magis boni ipsius particeps est. Hoc vero propinquius bono, hoc autem cognatius causæ vniuersorũ, hæc vero plurium causa. Imperfectius autem, quanto imperfectius fuerit, tanto pauciorum est causa. Longinquius enim existens a producente omnia, pauciorum est procreatiuum. Omnia enim procreare, vel ornare, vel perficere, vel continere, vel niuificare, uel efficere, & singula horum in pluribus facere, illi est cognatum. In paucioribus vero si id fiat alienum magis, &c.

CORELARIVM.

EX his sanè clarum est, quòd materia, quæ longinquissima est ab vniuersorum principio, sterilis est, & nullius causa. Si enim aliquid gignit, etiam post se aliquid habet & clarum quòd non erit longinquissima. Sed quod produxit longinquius illa, ipsa vero vicinior, eò quòd producat, & quod imitetur omnium entium productiuam causam.

DE

DE PRODVCENTE.

PROPOSITIO. XXVI.

OMnis productiua aliorum causa manēs ipsa in se ipsa, producit ea quæ post se, & quæ deinceps.

DEMONSTRATIO.

NAm si imitatur vnum ipsum. Illud vero immobiliter procreat ea quæ post se, etiam omne producēs eodem modo habet producendi causam. Sed enim & ipsum vnum immobiliter procreat. Si enim per motum, vel in ipso erit motus, vel non in ipso, & quod mouetur, non iam amplius vnum erit, mutatum ex vno, motus etiam ex vno erit. Ita vel in infinitum, vel immobiliter producit ipsum unum. Et omne producēs imitabitur vnum & productiuām uniuersorum causam. Ex eo enim quod primò est, est id, quod non primò. Itaque etiam ex eo quod omnium est productiuum erit id quod aliquorum est productiuum. Omne igitur producens in se ipso manens producit ea quæ deinceps, non imminutis ergo in se manentibus, ipsis producentibus, secunda producuntur ab ipsis. nam quod quouis modo imminuitur impossibile est manere tale, quale est.

PROPOSITIO. XXVII.

OMne producens, ob perfectionem, & potentiæ abundātiam, productiuum est secundorum.

DEMONSTRATIO.

SI enim non ob perfectionem, sed deficiens secundum potentiam produxit, neque etiam proprium ordinem, immobile potuit seruare. Quod enim ob defectum, & imbecillitatem alij esse præbet, sui mutatione & alteratione substantiam illi tribuit; Manet vero quale est, omne producens, & manente ipso, id quod est post ipsum, prouenit. Plenum ergo, & perfectū existēs, secunda procreat, immobiliter & indiminute. Ipsum existēs, quod est, neque se mutās in illa, neque diminuens. Neque enim dissectio partium pro-

ducentis,

ducentis, est ipsum productum. Non enim genitis id conuenit, neque progignentibus causis. Neque transitus, non em̃ materia fit progressi. Manet enim quale est. Et productum, aliud ab ipso est. Generans ergo inalterabile permanet, & indiminutum, & ob secundam potentiam se ipsum multiplicans, & a se secundas substantias præbens.

PROPOSITIO. XXIIX.

OMne producens, similia sibi, ante dissimilia procreat.

DEMONSTRATIO.

CVm enim producens, necessario sit præstantius producto, eadem quidem, simpliciter, & æqualia secundum potentiam nunquàm fuerint ad inuicem. Si vero non sunt eadem & æqualia, sed alia & inæqualia; vel penitus separata sunt a se inuicem, uel & unita & separata. Sed si penitus separata, non coibunt, & nullo modo, causę est sympathes, id quod ab ipsa. Non ergo participabit alterum altero, cum penitus sint alia. participatum enim communicationem largitur participanti ad id cuius particeps est. Sed necesse est, causatum causæ particeps esse, velut id quod inde habeat essentiam. Si uero quadamtenus separatum est, & quadamtenus unitum producenti, productum. si æque vtrumque patitur, æque ipsius & particeps est, & non particeps. Itaque & habebit essentiam ab ipso, & non habebit, eodem modo. Si vero magis fuerit separatum, alienum magis quàm proprium fuerit a gignente genitum, & inconcinnum, ad se magis quàm concinnum, & asympathes magis quàm sympathes. Si ergo & cognata secundum esse, & sympathea causis sunt, ea quæ ab ipsis sunt, & dependent ab ipsis secundum naturam, & appetunt contactum ad illas, appetentia bonum, & appetibile adipiscentia, per causam, clarum sanè, quòd magis uniantur producentibus producta, quàm separentur ab ipsis. Et quæ magis sunt unita, similia sunt magis quàm dissimilia his, quibus maximè uniuntur. Similia ergo antequàm dissimilia, procreat omnis productiua causa.

PRO-

PROPOSITIO. XXIX.

OMnis progreſſus per ſimilitudinem ſecũdorum ad prima efficitur,

DEMONSTRATIO.

SI enim producens,ſimilia antequàm diſsimilia procreat, ſimili tudo a producentibus procreat producta. Similia enim per ſimilitudinem ſimilia efficiuntur, & non per diſsimilitudinem. Si ergo progreſſus in diminutione ſeruat identitatem geniti ad gignens. & quale hoc primo, tale edit id quod poſt ſe, ſecundò, per ſimilitudinem habet ſubſtantiã.

PROPOSITIO. XXX.

OMne ab aliquo productum immediate,& manet in producente, & progreditur ab ipſo.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnis progreſſus,manentibus primis fit,& per ſimilitudinem efficitur,ſimilibus ante diſsimilia ſubſiſtentibus, manet aliquatenus etiam productum in producente. Quod enim penitus progreditur,nihil habebit idem,ad manens, ſed eſt penitus ſeparatum. Si vero habebit aliquid commune & vnitum ad ipſum:manebit & ipſum in illo,ſicut & illud in ſe manens erat.Si vero maneat tantũ,non progreſſum,nihil differet a cauſa, neque erit manente illa, aliud effectum. Si enim aliud eſt, ſeparatur,etiam eſt ſeorſum. Si autem ſeorſum,manet vero illa, progreſſum eſt hoc ab ipſa manente, vt ſeparetur a manente. Quatenus ergo idem aliquid productum, ad producens habet,manet in ipſo. Quatenus autem aliud,progreditur ab ipſo. Simile vero exiſtens, idem aliquatenus ſimul, & aliud eſt. Manet ergo & progreditur ſimul,ac neutrum, ſeorſum ab altero.

PROPOSITIO. XXXI.

OMne progrediens ab aliquo ſecundum eſſentiam, cõuertitur ad illud,a quo progreditur.

DEMONSTRATIO.

SI enim progrediatur quidem, non cõuertatur autem ad causam progressionis huius, non appeteret causam. Oẽ em̃ appetens conuersum est ad appetibile. Sed em̃ omne ens bonum appetit, & illius adeptio per proximam causam singulis. Appetunt ergo & sui ipsorum causam singula. Per quod enim esse vnicuique, per hoc etiam, bene eẽ, & p quod bene esse, ad hoc appetitus primo, ad quod vero primum appetitus, ad hoc & conuersio.

PROPOSITIO. XXXII.

OMnis conuersio efficitur per similitudinem, conuertentium se, ad id, ad quod conuertitur.

DEMONSTRATIO.

OMne enim conuertens se, ad oẽ; se coniũgere properat, & appetit communionem ad illud, & colligantiam. Colligat autem omnia similitudo. Sicuti separat dissimilitudo, & diuidit. Conuersio ergo, communio quædam est, & contactus. Omnis autem cõio, & cõtactus oĩs, per similitudinem. Omnis ergo conuersio per similitudinem efficietur.

PROPOSITIO. XXXIII.

OMne progrediens ab aliquo & conuersum, circularem habet actionem.

DEMONSTRATIO.

SI.n. ad id cõuertitur, a quo progreditur cõiũgit, principio finẽ. & est unus & cõtinuus motus, hic quidẽ a manente, hic aũt ad manẽs factus. Vñ sanè oĩa circulo progrediunt a causis ad causas. maiores vero circuli, & minores si qdem: cõuersiones ad proximè suprapos ita fiant aliæ vero ad superiora, et usque ad omnium principium. Ab illo enim omnia, & ad illud.

PROPOSITIO. XXXIV.

OMne qđ scđm naturã cõuertit, ad illud facit cõuersionem a quo & progressum habuit propriæ substantiæ.

DEMON-

DEMONSTRATIO

SI enim secundum naturam conuertitur, essentialem appetitionem possidet ad illud, ad quod conuertitur, & eē ipsius omne, in illud dirigit, ad quod essentialem facit conuersionem. Et simile est illi secundum essentiam, quare & sympathes illi secũdum naturam. Vt essentiæ cognatum. Si vero hoc; vel idem est, esse amborum, vel ex altero alterũ vel ambo ex vno alio, similitudinem sortitum est. Sed si idē esse est amborum, qũo secundum naturam alterum ad alterum est conuersum? Si vero ex vno, ambo; ad illud, scd͞m naturam fuerit conuersio vtriusque. Relinquitur ergo alterum ex altero, esse habere. Si vero hoc, & progressio ab illo, ad quod secundum naturam conuersio.

CORELARIVM.

EX his sanè clarum, quod appetibile omnibus, mēs est & progrediuntur omnia a mēte, & omnis mundus a mente essentiam habet, etiamsi æternus sit, neque ob id nō progreditur a mente, quia æternus est. Nō eñ ob hoc, non conuertitur, quia semper ordinatus est. Sed & progreditur semper, & æternus secundum essētiam. Et conuersus est semper, & indissolubilis secundum ordinem.

PROPOSITIO. XXXV.

OMne causatum, & manet in sui causa, & progreditur ab ipsa, & conuertitur ad ipsam.

DEMONSTRATIO.

SI enim manet solũ, nihil differet a cā, indistinctũ ab ea existēs. Simul eñ cum distinctione, progressio est. Si autem progrediatur solum, incōiũctile erit ad ipsam, & asympathes nullatenus cum cā cōicans. Si uero conuertatur solum, qũo, quod essentiam ab eo non habet, secundum essentiam facit conuersionem ad alienum? Si uero manet & progreditur, non conuertatur autem, quomodo naturalis appetitus vnicuique ad bene esse, & ad bonum, & ad gignens intensio. Si vero progrediatur quidem & conuertatur, nō maneat autē,

quomodo cum distet a causa, coniungi properat ad ipsam? inconiunctile cum esset ante discessum. Si enim coniunctum esset, secundum illud omnino maneret. Si vero maneat & cōuertatur, non congrediatur autem, quomodo nō separatum conuerti potest? Conuertens enim omne redeunti in illud assimilatur, a quo diuisum est secundum essentiam. Necesse est autem vel manere solum, vel conuerti solum, vel progredi solum, vel colligare extrema ad inuicem, vel intermediū inter vtraque extrema, vel simul omnia. Relinquitur ergo, & manere omne in causa, & progredi ab ipsa, & conuerti ad ipsam.

PROPOSITIO. XXXVI.

OMnium quæ in progressu multiplicantur, prima secundis sunt perfectiora, & secunda his quæ post ipsa, & deinceps similiter.

DEMONSTRATIO.

SI enim progressiones producta, distinguunt a causis, & demissa sunt secunda a primis. Prima quidem progressæ coniunguntur magis cum causis, ab ipsis illis enata. Secūda vero longinquius a causis sunt. & deinceps similiter. Viciniora vero & cognatiora causis, perfectiora. Etenim causæ sunt causatis perfectiores: longinquiora vero imperfectiora; dissimilia iam causis.

PROPOSITIO. XXXVII.

OMnium quæ secundum conuersionem subsistunt, prima imperfectiora sunt secundis. & secunda his quæ deinceps. Vltima vero perfectiora.

DEMONSTRATIO.

SI enim conuersiones fiunt secundum circulum, & a quo progressus, in hoc etiam conuersio; a perfectissimo autē progressus, conuersio ergo in perfectissimum. Atque si ad quod progressus, ultimum est, ab hoc prima conuersio. progressus autem in ultimum, imperfectissimum, & conuersio ab imperfectissimo. Prima ergo in ijs, quæ secundum conuersionē, imperfectissima. Vltima autem perfectissima.

PRO-

PROPOSITIO. XXXVIII.

OMne proueniẽs ab aliquibus pluribus causis, per quot progreditur, per totidem etiam conuertitur, & omnis conuersio per eadem, per quæ etiam progressio.

DEMONSTRATIO.

CVm enim per similitudinem vtraque fiant, id quod immediatè ab aliquo progressum est, etiam conuertitur immediate ad ipsum. Similitudo enim immediata erat. Q͞d uero medio in progrediendo eget, medio etiam indiget in conuersione. Oportet enim ad idem vtrumque fieri. Itaque ad medium conuertetur primo, deinde ad præstãtius quàm medium. Per quot ergo esse, per totidem etiam bene esse vni cuique. & èconuerso.

PROPOSITIO. XXXIX.

OMne ens, vel essentialiter conuertitur solum, vel vitaliter, vel etiam cognoscenter.

DEMONSTRATIO.

VEl enim esse solum a causa posʃidet, vel etiam viuere cũ ipso esse, vel etiam cognoscentem inde recepit potentiam. Quatenus ergo est, tantummodo, essentialem facit conuersionem. Quatenus autem uiuit etiam vitalem. Quatenus vero cognoscit, etiam cognoscitiuam. Vt enim progressum est, ita conuertitur, & mensuræ conuersionis, diffinitæ sunt mensuris secundum progressum. Et appetitus ergo, his quidem est, secundum ipsum esse solum, aptitudo existens ad participationem causarum. His vero etiam secundum uitam, quæ est motus ad præstantiora. His autem secundũ cognitionem, sensus existens bonitatis causarum.

PROPOSITIO. XL.

OMnibus, quæ ab alia causa progrediuntur, pręcedunt ea quæ a se ipsis subsistunt, & essentiam per se subsistentem habent.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

SI enim omne sufficiens, vel secundum essentiam, vel secũdum actionem præstantius est, eo quod ab alia cã pendet quod vero seipsum producit, sibi productiuum est ipsius eẽ, sufficiens est ad essentiam. Quod vero ab alio solum, producitur, non sufficiens. Bono vero cognatius est sufficiens. Cognatiora vero, & similiora causis subsistunt ex causa, antequàm dissimilia. Ergo quæ a se producuntur, & per se subsistunt antiquiora sunt, ijs quæ ab alio tantum ad esse progrediuntur. Vel enim nihil est per se subsistens, vel ipsum bonum, tale est; vel prima ab ipso bono subsistentia. Verum si nihil per se subsistit, in nullo sufficiens erit reuera, neque enim in bono; præstantius enim sufficientia illud est, vnum existens. & ipsum bonum, sed non habens bonum. Neque in ijs quæ post bonum. Omnia enim alius indiga erunt, eius qđ ante ipsum solum. Si vero ipsum bonum, per se subsistit, ipsum se ipsum producens, non unum erit. Quod enim ab uno progreditur, nō est unum. A se ipso enim progreditur, si quidem per se subsistit. Itaque vnum simul & non vnum, ipsum vnum. Necesse ergo, per se subsistens esse post primum, & clarum quòd ante ea, quæ ab alia causa solum progrediuntur. Principalius enim quam illa, & ipsi bono cognatius, vt demonstratum est.

PROPOSITIO. XLI.

OMne quod in alio est, ab alio tantum producitur. Omne aut in se existens, per se subsistens est.

DEMONSTRATIO.

QVod enim in alio est, & subiecto indiget, sui ipsius progenerans numquàm fuerit. Quod enim natum est se ipsum gignere, sede alia non indiget, cum a se contineatur. & in se seruatur, a superiore seorsum. Quod vero in se, manere, & stare potest, sui ipsius est productiuum. Ipsum in se ipsum progrediens, & sui ipsius contentiuum existens. Atque ita in se ipso existens, ut in causa causatum. non enim vt in loco, neque in subiecto. Etenim locus, ab eo quod in loco, aliud est, & a subiecto id quod in subiecto est. Hoc vero si-

bi

bi ipsi, idem. per se enim subsistens, & ut in causa, id quod a causa, ita in se ipso est.

PROPOSITIO. XLII.

OMne per se subsistens, ad seipsum est conuersiuum.

DEMONSTRATIO.

SI enim a se ipso progreditur, etiam conuersionem faciet ad seipsum. A quo enim singulis progressus, in hoc & progressui coordinata conuersio. Si enim progreditur a se ipso solum, non autem conuertatur progrediens in se, numquàm proprium bonum appetiuerit, & quod potest sibi ipsi præbere; potest vero omnis causa ei quod ab ipsa est, largiri cum essentia quam dat, etiam bene esse, essentiæ quam dat coniuge. Itaque & ipsum, sibi. Hoc ergo proprium per se subsistenti bonum est. hoc vero non appetet, quod conuertitur ad se, non appetens autem, neque etiam assequetur, & non assecutum, imperfectum fuerit, & non sufficiens. Sed si cui alij conuenit, etiam per se subsistenti, conueniet esse sufficiẽs, & perfectum, & assequetur ergo proprium, & appetet, & ad se ipsum conuertetur.

PROPOSITIO. XLIII.

OMne ad se ipsum conuersiuum, per se subsistens est.

DEMONSTRATIO.

NAm si conuersum est ad se secundum naturam, & est perfectum in conuersione ad se, essentiam quoque a se ipso habebit. Ad quod enim conuersio secundum naturam est, ab hoc etiam progressus essentialis est vnicuique. Si ergo sibi bene esse præbet, etiam esse sanè, sibi præbebit. & erit sui ipsius subsistentiæ princeps. Per se subsistens ergo est id quod ad se potest conuerti.

PROPOSITIO. XLIIII.

OMne quod secundum actionem ad se est conuersiuum, etiam secundum essentiam conuersum est ad se.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

SI enim actione posſit conuerti ad ſe, eſſentia vero nō cōuerſiuum exiſtat, præſtantius erit ſecundum actionem, quàm ſecundum eſſentiam, illa conuerſiua exiſtens, hæc vero nequaquàm. Quod enim ſui eſt præſtantius eſt, quàm quod alius tātum eſt. Et quod ſui eſt ſeruatiuum, perfectius eſt, eo quod ab alio tantum ſeruatur. Si ergo ſecundum actionem eam quæ eſt ab eſſentia, in ſe conuerſiuum eſt, etiā eſſentiam conuerſiuam ſortitum eſt, ita ut non agat ad ſe tantum, ſed etiā ſui ipſius ſit, & a ſe contineatur, & perficiatur.

PROPOSITIO. XLV.

OMne per ſe ſubſiſtens, ingenitum eſt.

DEMONSTRATIO.

SI enim genitum, quia genitum, imperfectum erit per ſe, & indigum ea perfectione quæ ab alio eſt. Quia vero ſe ipſum, producit, perfectum, & ſufficiens eſt. Omne enim genitum, ab alio perficitur, præbente ipſi genituram non exiſtenti. Etenim genitura, uia eſt ex imperfecto in contrarium perfectum. Si vero ſe ipſum quid producit, perfectum ſemper eſt. Semper ſuæ cauſæ cohærens, potius vero inhærēs eſſentiæ perfectiuæ.

PROPOSITIO. XLVI.

OMne per ſe ſubſiſtens, incorruptibile eſt.

DEMONSTRATIO.

SI enim corrūpetur, relinquet ſe, & erit a ſe ipſo ſeorſum. Sed hoc impoſsibile. Vnum em̄ exiſtēs, ſimul & cā eſt, & cauſatum. Oē aūt qđ corrumpitur, diſcedens a ſua cā corrūpitur. In quantum em̄ exeat ab eo quod ipſum cōtinet, & ſeruat unumquodque cōtinetur, & ſeruatur, numquam autem relinquit cauſam id quod per ſe ſubſiſtit. Si quidem ſe ipſum non relinquit. Cauſa enim ipſum, ſibi ipſi eſt. In corruptibile ergo eſt, omne per ſe ſubſiſtens.

PROPO-

PROPOSITIO. XLVII.

OMne per se subsistens impartibile est, & simplex.

DEMONSTRATIO.

NAm si partibile sit, quod per se subsistit, constituet partibile seipsum, & totum conuertetur ad se, & omne in omni se erit: hoc uero impossibile. Impartibile ergo est qđ per se subsistens est. Sed enim etiam simplex. nam si compositum est, erit in ipso, hoc quidem peius, illud autem melius, & melius ex peiore erit, & peius ex meliore, si modo totum a toto seipso progreditur. Ad hæc non sufficiens, cum indigũ sit, sui ipsius elementorum, ex quibus constat. Simplex ergo est omne quod per se subsistens fuerit.

DE AETERNO.

PROPOSITIO. XLVIII.

OMne non æternum, vel compositum est, vel in alio subsistit.

DEMONSTRATIO.

VEl enim dissolubile est in ea, ex quibus est, & omnino componitur ex illis, in quæ dissoluitur, vel subiecto indigens & relinquens subiectum abit in non ens. Si vero simplex sit & in se ipso, indissolubile erit & indissipabile.

PROPOSITIO. XLIX.

OMne per se subsistens, æternum est.

DEMONSTRATIO.

DVo enim sunt modi, secundum quos necesse est aliquid non æternum esse, compositionis modus, & alter qui est in alio esse. per se substans autem, neque compositum est, sed simplex, neque in alio est, sed in se ipso. æternum ergo est.

PROPOSITIO. L.

OMne quod tempore mensuratur, vel secundum essentiam, vel secundum actionē, generatio est, eatenus quatenus mensuratur, secundum tempus.

DEMONSTRATIO.

SI enim a tempore mensuratur conuenit illi secundum tēpus esse, vel agere. Et, erat & erit differentia ad inuicē esse. Si enim idem esset secundum numerum, erat & erit, nihil a tempore procedente, passum esset, & semper aliud habēte prius & posterius. Si ergo aliud est erat, & erit, in fieri ergo est. & numquàm existens, sed cum tempore simul procedit, a quo mensuratur, in fiendo existens. & nō sistitur in eodem esse, & semper recipiens esse aliud, & aliud, vt nunc secūdum tempus aliud semper, & aliud sit, ob temporis progressum, non ergo simul totum est. in dispersione tēporalis extensionis existens, & coextensum. Hoc vero est in non esse, ipsum esse habere. Quod enim fit, non est id quod fit. generatio ergo est, id quod hoc modo est.

PROPOSITIO. LI.

OMne per se substans exemptum est, ab ijs quæ tempore mensurantur secundum essentiam.

DEMONSTRATIO.

SI enim ingenitum est, quòd per se substat nequaquàm a tempore secundum esse mensuratur. Generatio enim circa naturam a tempore dimensam est. Nihil ergo per se substantium, in tempore substitit.

PROPOSITIO. LII.

OMne sempiternum, totam simul est.

DEMONSTRATIO.

SIue essentiam solum habeat sempiternam, totum simul præsentem ipsam habet. Neque eius hoc quidem, iam substans, hoc autem rursus substaturum quod nondum

est,

eſt,ſed quantum eſſe poteſt, tantum iam totum poſsidet indiminutè,& ſine extenſione. Siue actionem ad eſſentiam, & hanc vnitam habens,& in eadem menſura perfectionis conſiſtentem, ac veluti compactum ſecundum vnum ac eundem terminum, immobiliter, & ſine progreſsione. Nam ſi ſempiternum eſt, vt & nomen denotat, ſemper ens eſt, eſſe vero aliquando,& aliud eſt a ſemper ente,non oportet aliud prius,aliud poſterius eſſe.generatio namque erit,& non ens. Vbi autem,neque prius,neque poſterius,neque erat & erit,ſed eſſe tãtum,qđ eſt,totum ſimul eſt.Et vnumquodque quod eſt, idem etiam in agendo.

CORELARIVM.

EX hoc ſanè manifeſtũ eſt quòd,vt tota ſint ſempiternitas cauſa eſt. Siquidem oẽ ſempiternũ, vel ſecundum eſſentiam, vel ſecundum actionem,totam ſimul eſſentiam, vel actionem habet præſentem ſibi.

PROPOSITIO. LIII.

OMnibus ſempiternis,præexiſtit ſempiternitas,& omnibus temporalibus,tempus præexiſtit.

DEMONSTRATIO.

SI.n.vbique ante participãtia,ſunt participata, & ante participata, imparticipabilia, clarũ quod aliud eſt ſempiternum,aliud in ſempiterno ſempiternitas,aliud ẽt per ſe ipſã, ſempiternitas. Illud enim vt participãs,hoc vero vt participatum.hæc autem vt imparticipabilis.Et quod in tẽpore eſt aliud eſt,participans enim.Et tempus quod in eo,aliud.participatum enim.Et tp̃s ante hoc,imparticipabile exiſtẽs. Et horum utrumque, ex imparticipabilib. vbique & in oĩbus, idem.participatum aũt in illis ſolum a quib.participat.Multa eñ & ſempiterna,& temporalia,in quibus omnibus,ſempiternitas eſt ſecundum participationem. Et tempus diuiſum,cum illud indiuiſibile ſit. & unum tempus, ante hæc. & illud ſempiternitas ſempiternitatum, hoc vero tempus temporum,conditores participatorum.

PROPOSITIO. LIIII.

OMnis ſempiternitas,menſura eſt ſempiternorum, & omne tempus,eorum quæ in tempore, & duæ hæ menſuræ tantum ſunt,uitæ,& motus in entibus.

DEMONSTRATIO.

OMne enim menſurans, vel ſecundum partem menſurat, vel totum, adaptatum menſurato. Quod quidem ſecundũ totum menſurat ſempiternitas eſt; quod vero per partes, tempus. Duæ ergo tantum menſuræ, hæc quidem ſempiternorum. hæc vero temporalium.

PROPOSITIO. LVI.

OMne ſecundum tempus ſubſtans, vel æterno tẽpore eſt, vel aliquando in parte temporis ſubſiſtentiam habet.

DEMONSTRATIO.

SI enim progreſſus omnes per ſimilitudinem ſunt, & ante penitus diſsimilia, cõtinuata primis ſubſtant ſimilia ſibi magis, quàm diſsimilia. Sempiternis autem coniungere ea quæ in parte temporis fiunt, impoſsibile. Etenim ſicuti quæ fiunt, illis ſubſtantibus, & quæ aliquãdo, illis quæ ſemper ſubſtant, differunt. Media vero horum & illorum ſunt ea, quæ aliquatenus ſimilia illis ſunt, aliquatenus vero diſsimilia. Non ne ergo, eorum quæ aliquando fiunt, & eorum quæ ſemper ſunt, & quo ad aliquando; ab ijs diſtat quæ ſemper extant? Horum ergo medium eſt, vel quod ſemper fit, vel quod aliquando eſt? vel hoc vero eſt, non enter ens, vel quod aliqñ enter ens. Sed quod aliquando enter ens, impoſsibile eſt eſſe. Quod vero, aliquando non inter ens, ei quod fit, idem. Nõ ergo medium, aliquando ens. Relinquitur ergo id quod ſemper fit, medium eſſe amborum, eo quod fiat, coniunctum deterioribus, eo vero quod ſemper imitans ſempiternam naturam, &c.

CORRELARIVM.

EX his ergo clarum, quod duplex ſit æternitas. Sempiterna quidem alia, ſecundum vero tempus alia. Illa ſtãs ſempiternitas, hæc vero in fieri, & illa quidem vnitum habẽs eſſe, & totum ſimul. hæc vero effuſa & explicata ſecũdum tp̃alem extẽſionem, & illa quidem tota per ſe; hæc vero ex partibus, quarum ſingulæ ſeparatæ ſunt ſecundum prius, & poſterius.

PROPO-

PROPOSITIO. LVII.

OMne quod a ſecundis producitur,etiam a prioribus, & cauſalioribus magis producitur, a quibus & ſecundæ ſunt producta.

DEMONSTRATIO.

SI enim ſecundum,totam habet eſſentiam ab eo quod ante ſe eſt,& potentia producendi,ſibi inde eſt. Etenim potentiæ productiuæ ſecundum eſſentiam ſunt,in producentibus,& complent ipſarum eſſentiam. Si vero producendi potentiam a ſuprapoſita cauſa ſortitæ ſunt,ab illa habent eſſendi cauſam,quorum eſt cauſa,menſurata inde,ſecundum conditricem potentiam. Si vero hoc, etiam ea quæ ab ipſa proueniunt,cauſata ſunt, propter id quod ante ipſam eſt, quod enim efficit alteram cauſam , & alterum vt ſit cauſatum efficit. Si hoc,etiam cauſatum,inde tale efficitur. Sed enim ꝙ etiam magis inde,manifeſtum. Si enim cauſam ſecundo producendi dedit, habuit ergo primò hanc cauſam,& ob hoc ēt ſecundum,gignit:accipiens,inde potentiam gignēdi ſecundum. Si vero alterum quidem per participationem factum eſt productiuum,alterum vero per largitionem, etiā primò, & magis cauſa illud eſt,quod & alij proximè ſequenti, gignē di potentiam largitur.

PROPOSITIO. LVIII.

OMnis cauſa,& ante cauſatum agit, & poſt ipſum pluriū eſt productiuum.

DEMONSTRATIO.

QVa enim eſt cauſa perfectius eſt, & potentius eo , quod poſt ipſum eſt. Et ſi hoc,plurium cauſa eſt. Potentiæ enim maioris eſt,plura producere, æqualis vero æqualia, & minoris minora. Et quæ in ſimilibus , maiora poteſt potentia, etiam minora poteſt. Quæ vero minora poteſt, non ex neceſsitate maiora poterit. Si ergo potentior ſit cauſa,plurium etiam productiua eſt. Sed enim quæcunque poteſt ipſum cauſatum,illa magis poteſt. Omne enim a ſecūdis productum, a prioribus & magis cauſis producitur magis. Coexiſtunt

xistunt ergo illi, omnia, quæcunque illa nata est producere. Si vero etiam ipsum, causatum prius producit, clarum nimirum, quòd ante ipsum agit, secundum ipsius productiuam actionem. Omnis ergo causa, etiam ante causatum agit, & cũ ipso, & post ipsum alia profert.

CORELARIVM.

EX his sanè clarum, quod quorumcunque anima cã est, ét mens cã est, non autem quorumcunque mens, ét anima cã est. Sed ante animam quoque agit, & quæ dat anima secũdis, dat & ipsa mens, & magis: & anima non amplius agente, mens illuminat sua dona, quibus non dedit anima se ipsam. Etenim inanimatum, quatenus formam participauit, mentẽ participat, & mentis factionem, & sanè, etiã quorumcunque mens causa, etiam bonum causa est, non autem èconuerso. Etenim priuationes formarum illinc. Omnia enim illinc. Mens vero priuationis conditrix non est, forma cum sit.

PROPOSITIO. LIIX.

OMne a pluribus causis productum, compositius est, eo quod a paucioribus producitur.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnis causa, aliquid dat ei quod a se ꝓuenit; plures causæ, plures faciẽt dationes, pauciores vero pauciores. Itaque etiam participantia, alia ex pluribus erunt, alia ex paucioribus, ijs quæ vtraque participarunt, hæc quidẽ ob progressum ex pluribus causis, hæc vero, ob progressum a paucioribus. Ea vero ex pluribus compositiora quæ autem ex paucioribus, simpliciora ijs ipsis. Omne ergo a pluribus causis productum, compositius est, quod uero a paucioribus simplius, quæ enim alterum participat, etiam alterum, sed non è conuerso.

PROPOSITIO. LIX.

OMne simplex secundum essentiam, vel præstantius est compositis, vel deterius.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

SI enim summa entium a paucioribus, & simplicioribus producuntur, media vero a pluribus, hæc quidem erunt composita. Et extrema, alia quidem secundum præstantius simpliciora, alia autem secundum deterius. Sed enim quod, summa a paucioribus producuntur, clarum sanè quòd superiorum sunt, & incipiunt antequàm deteriora, & superextenduntur ipsis, super quæ non procedunt illa, ob diminutionē potentiæ. Ob hoc enim ultimum quoque entium, simplicissimum, sicuti primum, quia a solo prouenit primo. Sed simplicitas, alia quidem secundum prestantius est omni cōpositione, alia uero secundum deterius, & in omnibus eadem erit ratio.

PROPOSITIO. LX.

OMnis plurium causa, præstantior est, eo quod ad pauciora potentiam est sortitum, & partes producit quorum alterum totorum est productiuum.

DEMONSTRATIO.

SI enim hoc quidem pauciorum, illud vero plurium causa est partes vero aliorum aliæ, quæ alterum facit, etiam, reliquum faciet, quod plurium est productiuum. Quæ vero hoc producit, ea non omnia, illud producet. Potentius ergo, & plurium comprehensiuum. Vt enim productum ad productum, ita producens ad producens ad inuicem sumpta. Plus vero potens, maiorem potētiam habet, & vniuersaliorem. Hoc vero vicinius est, causæ omnium, quod vero vicinius, huic magis est bonum, siquidem ipsa, bonum ipsum est. Plurium ergo causa, secundum essentiam præstantius existit eo, quod pauciora producit.

PROPOSITIO. LXI.

OMnis potentia, impartibilis quidē existens, maior est, partita vero, minor.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

SI enim diuiditur, abit in multitudinem. Si autem hoc, longinquius fit ab uno. Si vero hoc, minora poterit; cum ab uno, ipſam continente diſcedat, & imperficiatur. Siquidem vniuſcuiuſque bonum, exiſtit per unionem.

PROPOSITIO. LXII.

OMnis multitudo uicinior uni exiſtens, quantitate quidem eſt longinquioribus minor, potentia autem maior, &c.

DEMONSTRATIO.

SImile enim magis eſt uni, id quod vicinius eſt. Vnum vero omnium erat conſtitutiuum immultiplicanter. Similius ergo ipſi, plurium cauſa exiſtit. Si quidem illud omnium vniformius erit, & impartibilius, ſi illud erit unum. Sicuti ergo uni, quod minus multiplicatum eſt, magis cognatum eſt. Ita omnium cauſæ cognatius, quod plurium eſt productiuum. Hoc autem putentius eſt.

CORELARIVM.

EX his ſanè clarum eſt, quòd plures ſunt corporeæ naturæ, quàm animarum hæ vero plures, mentibus. Mentes vero plures diuinis unitatibus. Et in omnibus eadem ratio.

PROPOSITIO. LXIII.

OMne imparticipabile duplices producit participatorum ordines; hunc quidem in ijs quæ aliquando participant, illum vero in ijs quæ ſemper, & connate participant.

DEMONSTRATIO.

IMparticipabili enim, id quod ſemper participatum eſt, ſimilius eſt, quàm quod aliquando. Antequam ergo ſubſtet aliquando participatum, ſubſtabit quod ſemper participabile. Eo quidem quòd participetur ab eo quod poſt ipſum,

ſum,

ſum, differens, eo quòd autem ſemper cognatius eſt imparticipabili, & ſimilius. Neque ſola ſunt ea quæ aliquando participantur ante hæc enim ea quæ ſemper participantur; per quæ & hæc colligantur ſecundum quendam progreſſum bene ordinatum, ad imparticipabilia. Neque ſola ea quæ ſemper participantur, hæc enim potentiam cum habeant, inextinguibilẽ, (ſiquidem ſemper ſunt) aliorum ſunt delatiua, ſcilicet eorum quæ aliquando participantur, & vſque ad hęc diminutio.

CORRELARIVM.

EX his ſanè clarum fit, quod etiam unitiones quæ ab vno illuſtrant entia, aliæ quidem ſemper participantur, aliæ autem aliquando, & intellectuales participationes duplices eodem modo, & animarum animationes, & aliarum formarum ſimiliter. Etenim pulchritudo, & ſimilitudo, & ſtatus, & identitas, imparticipata ſunt, a ſemper autem participantibus participantur, & ab ijs quæ aliquando, ſecunda in eodem ordine.

PROPOSITIO. LXIV.

OMnis principalis vnitas, duplicem producit numerum. alterum quidem, per ſe perfectarum ſubſtantiarum, alterum vero, illuminationum in alijs, ſubſtantiã habentium.

DEMONSTRATIO.

SI enim per diminutionem progreſſus eſt, per proprias cõſtituentium cauſas, & ab omnino perfectis, perfecta, & p hæc media, imperfecta procedunt ordinatè. Itaque aliæ quidem erunt per ſe perfectæ ſubſtantiæ, alię vero imperfectę, & ipſę quidem fiunt formæ participantium. Imperfectæ enim cum ſint, indigent ſubiectis ad earum exiſtentiam. Alię vero, ſui ipſarum faciunt, participantia. Perfectę enim, cum ſint implent quidem ſe ipſis illa, & ſtabiliunt in ſe. Indigent autem nihil inferioribus ad ſubſiſtentiam propriam. Per ſe ergo perfectæ ſubſtantię, propter diſtinctionem in multitudinem, minoratæ a principali ipſarum unitate, propter per ſe

perfectam existentiam assimilantur quadamtenus ad illam. Imperfectæ vero, & eo quòd in alijs sint, ab ea quæ per se subſtat, & eo quòd imperfectæ ab ea, quæ omnia perficit, distant: progressus vero per similia fiunt, vsque ad omnino dissimilia. Duplicem ergo producit numerum vnaquæque principalium unitatum.

CORRELARIVM.

EX his sanè clarum est, quòd etiam vnitates, quæ p se perfectæ sunt, ab uno prouenerunt. Illustrationes autem vnionum & mentis, aliæ essentiæ quidem per se perfectæ, aliꝫ vero intellectuales quædam perfectiones, & animę aliæ suiip sarum sunt, aliæ animatorum, simulachra tantum existunt & aĩarũ solũ. Atque ita neque omnis vnitas Deus, sed per se perfecta vnitas. neque omnis intellectualis proprietas, intel lectus, sed essentialis tãtum. Neque omnis animæ illustratio, anima, sed sunt etiam simulachra animarum.

PROPOSITIO. LXV.

OMne quomodocunque subſtans, vel secũdum causam est primario, vel secundum existentiam, vel secundum participationem, vt imago.

DEMONSTRATIO.

SI enim in producente, productum conspicitur, vt in causa præexistens, quoniam omnis causa in se ipsa, causatum præcepit, primario existens id, quod illud secundariè: vel in producto producens. Etenim hoc participans producente, in se ostendit secundarie, quod producens existit pri marie, vel secundum sui ordinem vnumquodque considera tur, neque in causa, neque in causato. Illa enim est præstantiore modo, quatenus est. hoc vero deteriore, quatenus est. Oportet vero esse, & quod est. Est autem secundum existentiam, in suo vnumquodque ordine.

PROPOSITIO. LXVI.

OMnia entia, ad se inuicem, vel tota sunt, vel partes, vel eadem, vel altera.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

NAm si comprehendunt altera, comprehenduntur vero reliqua, vel neque comprehendunt, neque comprehẽduntur, atque vel idem aliquid passa sunt, vt vnum participãtia, vel discreta sunt ad inuicem. Sed si comprehendunt, tota fuerint. Si vero comprehendantur, partes. Si vero vnum, multa participant, eadem sunt secundum vnum. Si vero plura tantum fuerint, alia ad inuicem sunt hac qua multa sunt.

PROPOSITIO. LXVII.

OMnis totalitas, vel ante partes est, vel ex partibus, vel in parte.

DEMONSTRATIO.

AVt.n. in cã vnicuiusque speculamur formam, & totũ illud ante partes dicimus, qđ in cã præexistit, aut in participãtib. ipsum partibus. Et hoc dupliciter. Vel.n. in oĩb. simul partibus. & est hoc ex partibus totum. Cuius ẽt, quæcũque pars absit, minuit totum. Vel in unaquaque parte, tamq̃ pars secundum participationem totum fiat, quod etiã facit, partem, vt totum sit partialiter. Secundum quidem existẽtiã totum, est quod ex partibus est. Secundum vero causam, qđ ante partes est, secundum vero participationem, quod est in parte. Namque hoc secundum vltimam diminutionem, totum. qua imitatur totum quod est ex partibus. quando non quæuis fuerit pars, sed toti potens assimilari. cuius etiã partes, tota sunt.

PROPOSITIO. LXVIII.

OMne in parte totum, pars est totius, quod ex partibus.

DEMONSTRATIO.

SI enim pars est, totius, cuiusdam pars est, ac siue eius qđ in se est totius, quatenus dicitur in parte totum sed ita, ipsum sui ipsius est pars, & æqualis toti pars erit, & idem utrumque, uel alius cuiuspiam totius. & si alius, vel solum est illius pars. & sic nihil rursus differet a toto, vno

existente,vna existens pars,vel cum altero. Omnis enim totius,partes plures sunt quàm una, & illud erit ex plurib. totum,ex partibus.s.ex quibus est.Ac sic totum, quod in parte eius,quod ex partibus,est,pars erit.

PROPOSITIO. LXIX.

OMne ex partibus totum, particeps est eius totalitati quę est ante partes.

DEMONSTRATIO.

SI enim est ex partibus,totum passum est. Partes enim vnum cum sint factę,totum ob unionem passum est, & est totum in non totis partibus.Omni vero participato,pręexistit imparticipabile. Imparticipabilis ergo totalitas, pręexistit participatæ. Est ergo species quædam totalitatis, ante id totum quod est ex partibus. Quod non est passum, vt sit totum,sed est per se totalitas. A qua est ea,quæ ex partibus est totalitas. Cum etiam id totum,quod est ex partibus multis in locis,ac in multis est alijs,& alijs, quę sunt ex partibus; his quidem aliter,illis autem etiam aliter.Oportet autem esse,vnitatem omnium totalitatum,& per se.Neque enĩ sincerum est vnumquodque totorum horum, indigum earũ partium,ex quibus est,quę totum non sunt.Neque in aliquo si fiat,alijs omnibus causa esse potest,vt tota sint. Quod vero causa est omnibus alijs totis,vt tota sint, ante partes est. Nã si & hoc ex partibus esset,erit quoddam totum, & nõ totum simpliciter. Et rursus hoc ex alio, & sic uel in infinitum, vel erit primum totum, non ex partibus totum,sed id quod est totalitas.

PROPOSITIO. LXX.

OMne vniuersalius, in principalibus,& ante particularia, in participantia refulget, & secundum ab illis relinquit participans.

DEMONSTRATIO.

ETenim, ante id quod post ipsum est,incipit actionem in secunda,& cum illius pręsentia adest, & illo nõ amplius

agente,

agente, adhuc adeſt, & agit id quod magis cauſa eſt, & non ſolum in differentibus ſubiectis, ſed etiam in vnoquoque eorum quę aliquando participant. Oportet enim verbi gratia, fieri prius, ens, deinde animal, deinde hominem, & homo non eſt, relinquente eum, rationali potentia. Animal tamen eſt, ſpirans, & ſentiens. & uita rurſus relinquente, manet ens. & enim quando non uiuit, eſſe adeſt. & in omnibus ſimili modo. Cauſa vero eſt, quia agibilius exiſtens id quod magis cauſa, prius in participatum agit. Idem enim a potentiore priore patitur, & ſecundo rurſus agente, etiã illud coagit. Quia omne quod facit ſecundum, congenerat id etiam quod magis cauſa eſt, & relinquẽte illo, hoc etiam adeſt. Potentioris enim communicatio, cum agat magis, vltima participans relinquit. Etenim ob ſecundi communicationem ſuam illuſtrationem roborauit.

PROPOSITIO. LXXI.

OMnia quę in principalibus cauſis, uniuerſaliorem, & ſuperiorem ordinem habent, in effectis, ſecundum illuſtrationes ab ipſis, ſubiecta quodammodo fiunt particulariorum communicationibus. & illuſtrationes eæ quæ a ſuperioribus ſunt, ſuſcipiunt progreſſus a ſecundis. Illæ vero in his ſtabiliuntur. Atque ita participationes præcedunt aliæ alias. & ſimulachra alia ſuper alia, de ſuper coeunt in idem ſubiectum, & vniuerſaliora quidem pręagunt; particularia vero poſt illorum actiones, ſuas ipſorum communicationes largiuntur, participantibus.

DEMONSTRATIO.

NAm ſi ea, quę magis cauſę ſunt, antequàm ſecunda propter potentię exſuperantiam, agunt: & ijs quę imperfectiorem habent aptitudinem adſunt, eaque illuſtrant: demiſsiora vero, & in ordine ſecunda, largitiones ab illis ſuſcipiunt: clarum eſt quòd ſuperiorum illuſtrationes, pręoccupant id, quod vtrarumque particeps eſt, ac firmant demiſsiorum communicationes. Hęc vero veluti fulcris ac fundamẽtis, vtuntur ijs ſimulachris, quę a ſuperioribus ſunt, & agunt in participans, ab illis pręparatum.

PROPO-

PROPOSITIO. LXXII.

OMnia quæ in participantibus subiecti habent rōnem, ex perfectioribus procedunt,& vniuersaliorib. causis.

DEMONSTRATIO.

PLurium enim causæ,potentiores sunt, & vniuersaliores, & viciniores vni,qaàm quæ pauciorum. Producētia autem,ea quæ alijs sunt subiecta, plurium causæ sunt, quia producunt etiam aptitudines,ante quàm formæ adsint. Vniuersaliora ergo hæc sunt,& perfectiora in causis.

CORELARIVM.

EX his clarum est,cur materia ex vno producta,per se formæ est expers.Corpus autem per se,etiamsi ens participet,animæ imparticeps est. Materia enim subiectum existēs omnium,ex omnium causa,cessit. Corpus autem subiectum animationis existens,ex uniuersaliori, quàm anima extitit, quomodocunque ente participans.

PROPOSITIO. LXXIII.

OMne quidem totum,simul ens aliquod est, & particips est entis,non omne autem totum,est ens.

DEMONSTRATIO.

VEl enim idem est ens & totum; vel alterum prius, alterum posterius. Sed etiam pars, qua pars,ens quidem est, (ex partibus enim entibus, est totum) nō tamen etiam totum per se; Non ergo idem est,ens & totum. esset namque pars, non ens. Si vero pars, nō ens,neque totū erit ens.Omne enim totum,partium est totum, vel vt ante ipsas existēs, vel vt in ipsis.Non ente ergo parte,neque totum esse, est possibile. Si vero totum est ante ens, erit omne ens totum statim, non ergo erit pars, pars, sed impossibile est hoc. Si em̄ totum est totum,partis existens totum;& pars erit pars totius, pars existens. Relinquitur ergo, omne totum esse ens, non autem omne ens,totum.

CORE-

CORELARIVM.

EX his clarum, quòd primò ens, trans totalitatem eſt, ſiquidem ens, pluribus adeſt; etenim partibus, quatenus partes, eſſe præbet. Illud autem paucioribus. Plurium enim cauſa, præſtantior eſt, pauciorum vero, inferior, ut eſt demonſtratum.

PROPOSITIO. LXXIV.

OMnis quidem ſpecies, totum quid eſt.

DEMONSTRATIO.

EX pluribus enim conſtat, quorum vnumquodque complet ſpeciem. Non autem omne totum, ſpecies eſt. Etem & quid, & indiuiduum, totum quidem eſt, ut indiuiduũ, ſpecies autem non eſt. Omne enim totum, ex partibus conſtat. Species autem eſt id, quod in plures ſingulares ſpecies diuiditur. Aliud ergo totum, & aliud ſpecies. & illud quidem ineſt pluribus, hæc vero paucioribus. Super ſpecies ergo entium, totum eſt.

CORELARIVM.

EX his clarum eſt, ꝙ totũ, mediũ habet ordinẽ, entis & ſpecierũ. cui cõſequit̃, ẽt ante ſpecies exiſtere ens, & ſpecies entia eſſe, non tñ oẽ ens, ſpecies eſt. Vnde ẽt in effectis, priuationes, entia quodam modo ſunt, ſpecies non tamẽ ſunt. Ob vnitiuam autem entis potentiam, etiam ipſæ ſuſceperũt debilem quandam eſſendi imaginem.

PROPOSITIO. LXXV.

OMne quod propriæ cauſa dicitur, exemptum eſt ab effecto.

DEMONSTRATIO.

IN ipſo enim exiſtens, vel completiuum ipſius eſt, vel indigũ quodãmõ ipſius ad eẽ, imperfectius hac eſſet effecto. Qđ vero in effecto eſt, cõcauſa magis eſt, q̃ cauſa, vel pars exiſtens eius quod fit, vel inſtrumentum facientis, pars enim in facto,

facto est,& imperfectior est toto. & instrumētum faciens ad generationem,mensuram factionis, determinare sibi nō ualens. Omnis ergo propriè causa,si perfectior est, eo quod ab ipsa, etiam mensuram generationi prębet, & ab instrumentis eximitur, & elementis omnibus simpliciter, quę uocantur concausę.

PROPOSITIO. LXXVI.

OMne quod fit ab immobili causa, immutabilem habet existentiam. Omne vero quod a mobili,mutabilem.

DEMONSTRATIO.

SI enim immobile penitus est agens,non per motum, sed ipso esse producit secundum a seipso. Si vero hoc, concurrens habet suo ipsius esse,id quod a se. Si autem hoc, quousque fuerit,producit. Semper autem est, semper ergo producit,id quod post se. Itaque & hoc, semper fit inde, & semper est. Illius semper secundum actionem, coniungens sui ipsius semper progressum. Si ergo sanè, mouetur causa, & quod ab ea fit, erit mutabile secundum essentiam, cui em̄ esse per motum,id motu mutato,mutat esse. Si enim ex motu productū,immutabile ipsum manet,pręstantius erit producente causa,sed imposibile. Non ergo immutabile erit, mutatur ergo, & mouebitur secundum essentiam, imitans motum qui ipsum produxit.

PROPOSITIO. LXXVII.

OMne ens potentia,ex ente,actu id qđ hoc est potētia, in actum progreditur,& quod quadamtenus in potentia, ex ente quadamtenus in actu quatenus ipsum est potentia. ens autem, quod omnino potentia est,ex ente, quod omnino in actu est.

DEMONSTRATIO.

IPsum enim quod est potentia, se ipsum producere in actum,non est natum,cum sit imperfectum. Si enim quod imperfectum est,causa sibi fiat perfectionis, & secundum actum erit causa,eo quod a se factum est, imperfectior. Non

ergo

ergo quod potentia eſt, quatenus potentia ſibi, vt ſecũdum actum ſit, cauſa erit. Erit enim qua imperfectum eſt. perfecti cauſa: ſiquidem omne quod eſt potẽtia qua potentia, imperfectum eſt. Omne vero quod eſt actu, qua actu perfectũ. Si ergo id quod potentia eſt, actu erit, ab alio quoppiam habebit perfectum. Atque vel & ipſum potentia (ſed erit, hoc modo rurſus, imperfectum, perfecti, generatiuum.) vel actu. Atque aut aliud quid, aut hoc quod potentia erit, actu fit. Sed ſi aliud quid actu exiſtens, facit, ſecũdum ipſius proprietatem agens, id quod in altero potentia eſt, faciet actu. Neque hoc ergo erit actu: ſiquidem non qua potentia eſt, hac fiat. Relinquitur ergo, ex actu ente, quod potẽtia aliquid eſt, in actu eſſe, mutari.

PROPOSITIO. LXXVIII.

OMnis potentia, vel perfecta eſt, vel imperfecta.

DEMONSTRATIO.

ACtus enim collatiua, perfecta potentia eſt. Alia enim facit perfecta per ſuas actiones, aliorum vero perfectiuum, ipſum perfectius eſt. Quæ vero alius indiget, eius quod actu præexiſtit, quatenus potẽtia aliquid eſt, imperfecta eſt. Indiget enim perfecto, in alio exiſtente, vt participans illius perfecta fiat. per ſe enim imperfecta eſt talis potẽtia. Itaque perfecta eſt potentia eius quod actu eſt, cum actus ferax ſit. Imperfecta vero eius, quod potentia; ab illo habens perfectionem.

PROPOSITIO. LXXIX.

OMne quod fit, ex duplici fit potentia.

DEMONSTRATIO.

ETenim ipſum oportet idoneum eſſe, & potentiam imperfectam habere. & agens actu exiſtens id quod potentia illud eſt, potentiam præaccepiſſe perfectam. Omnis enim actus, ex potentia inexiſtente prouenit. Si enim agens non habet potentiam, quo modo aget, & faciet in aliud? Si autem

G quod

quod ſit,non habeat ſecundum aptitudinem potẽtiam,quonam modo fiet.Faciẽs enim.Omne,in id facit,quod pati poteſt,ſed non in quoduis,& quod non natum eſt ab eo pati.

PROPOSITIO. LXXX.

OMne corpus per ſe natum eſt pati. Omne autem incorporeum agere.Illud quidem inefficax per ſe eſt, hoc aũt impaſsibile. Patitur vero etiam incorporeum propter communionem ad corpus. eo modo quo poſſunt agere etiã corpora ob incorporeorum participationem.

DEMONSTRATIO.

COrpus enim vt corpus, diuiſibile eſt ſolum, atque hac paſsibile vndequaque partibile exiſtẽs, & vndequaque in infinitum. Incorporeum autem ſimplex exiſtens, impaſsibile eſt.Neque enim diuidi poteſt,quod impartibile eſt,neq; alterari,quod incompoſitum eſt. Aut ergo nihil erit agens, aut incorporeum.Siquidem corpus,vt corpus, non agit expoſitum ſolum,vt diuidatur,& patiatur. Cum omne agens, potẽtiam habet actiuam. Itaque non quatenus corpus aget, ſed ſecundum agendi potentiam,quæ in ipſo eſt.Inefficax autem & impotens corpus,per ſe eſt. participatione ergo potẽtiæ,agit quando agit. Sed enim etiam incorporea paſsiones participant, quando ſunt in corporibus, condiuiſa ipſis, & fruentia partibili illorum natura, cum tamen impartibilia ſint ſecundum propriam eſſentiam.

PROPOSITIO. LXXXI.

OMne quod ſeparabiliter participatur, per quandam inſeparabilem potentiã,quam indit participanti, adeſt.

DEMONSTRATIO.

SI enim & ipſum ſeparabile a participante exiſtit, & nõ eſt in illo,tamquam ſubſtantiam in ſe poſsidens:opus autem habet,medietate quadam,quæ contineat alterum ad alterum,ſimilior ad participatum,& ea quæ in ipſo participante eſt.Si enim illud ſeparabile eſt,quõ hoc participat? neque

ipſum, illud habens, neque aliud ab ipſo. Potentia ergo, & illuſtratio ab illo, in participans progreſſa, coniunget ambo. Atque hoc erit, per quod participatio; aliud vero participatum, & aliud participans.

PROPOSITIO. LXXXII.

OMne incorporeum ad ſe conuerſiuum exiſtens, ab alijs participatum, ſeparabiliter participatur.

DEMONSTRATIO.

SI enim inſeparabiliter, actio ipſius non erit ſeparabilis a participante, ſicuti neque eſſentia. Si vero hoc, non conuertetur ad ſe. Conuerſum enim erit a participato ſeorſum, alio exiſtente ipſo, aliud exiſtens ipſum. Si ergo poteſt, ad ſe conuerti, ſeparabiliter participatur, quando participatur ab alijs.

PROPOSITIO. LXXXIII.

OMne ſuiipſius cognoſcitiuum, ad ſe omnino conuerſiuum eſt.

DEMONSTRATIO.

QVòd enim actu ad ſe conuertitur, cognoſcens ſeipſum manifeſtum eſt. Vnum enim eſt, cognoſcens & cognitum, & cognitio ſui, ad ſe eſt, vt cognoſcibile. Vt cognoſcētis actio quædam exiſtēs, ſui vero ad ſe, quia ſuiipſius cognoſcitiuum eſt. Sed enim quòd etiam eſſentia, ſi actione, demonſtratum eſt. Omne enim in agendo ad ſe cōuerſiuum, & eſſentiam habet ad ſeipſam conuentem, & in ſe exiſtentem.

PROPOSITIO. LXXXIIII.

OMne ſemper exiſtens, infinitipotens eſt.

DEMONSTRATIO.

SI enim indeficiens eſt eius ſubſtantia, etiam potentia, ſecundum quam eſt, quod eſt, & eſſe poteſt, infinita eſt. Finita enim exiſtens ſecundum eſſe potentia, deficiet aliquando. Deficiens vero, etiam eſſe, eam habentis defi-

ciet, neque amplius ſemper ens exiſtit. Oportet ergo eius quod ſemper eſt, potentiam, continentem ipſum, ſecundum eſſentiam, infinitam eſſe.

PROPOSITIO. LXXXV.

Omne quod ſemper fit, infinitam fiendi potentiã habet.

DEMONSTRATIO.

SI enim ſemper fit, indeficiens eſt in ipſo generationis potentia. Finita enim exiſtens, in infinito tempore ceſſabit. Ceſſante vero fiẽdi potentia, ceſſabit vtique etiam quod fit; id ſcilicet quod ſecundum ipſam fit, neque amplius, ſemper fiens erit. At ſemper fiens ſupponitur. Infinitam ergo habet fiendi potentiam.

PROPOSITIO. LXXXVI.

Omne enter ens, infinitum eſt, non ſecũdum multitudinem, neque ſecundum magnitudinem, ſed ſecundum potentiam ſolam.

DEMONSTRATIO.

Omne enim infinitum, vel in multo eſt, vel in magno, vel in potentia. Enter autem ens, infinitum quidem, eſt, vt inextinguibilem habens vitam, & exiſtentiam indeficientem, & actionem non diminutam. Neque vero ob magnitudinem eſt infinitum, cũ ſine magnitudine ſit, quod enter eſt, per ſe ſubſiſtens. Omne enim per ſe ſubſiſtẽter ens. impartibile eſt & ſimplex. Neque ob multitudinem, vniformiſsimum namque eſt, cum viciniſsimum vni ſit ordinatũ, & vni cognatiſsimum. Sed ſecundum potentiam infinitum illud eſt. Quare, ſecundum idem & impartibile illud, & infinitum erit. Ac quanto ſanè magis vnum, & magis impartibile, tanto etiam infinitum magis. Partita enim potentia, debilis iam & finita eſt. Ac omnino partibiles potentiæ finitæ omnino ſunt. Vltimæ enim & longinquiſsimæ ab uno, ob partitionem finitæ quodammodo ſunt, primæ autem ob impartibilitatem, infinitæ. Partitio enim, diſlat ac diſſoluit cuiuſque potentiam. Impartibilitas vero, conſtringens ac coarctans,

arctans,indeficientem ipſam,& indiminutam in ſe ipſa continet. Sed enim infinitas ſecundum magnitudinem, & ſecundum multitudinem priuatio eſt penitus impartibilitatis,& delapſus.Propinquiſsimum enim impartibilis, eſt finitum, longinquiſsimum vero,infinitum. vndequaque ab vno egreſſum. Non ergo infinitum ſecundum potentiam in infinito ſecundum multitudinem eſt, vel magnitudinem. Siquidem infinita potentia,impartibilitati coexiſtit. Infinitũ vero multitudine,aut magnitudine, lõginquiſsimum eſt ab impartibili. Si ergo enter ens magnitudine eſſet, vel multitudine infinitum, non eſſet infinitipotens, ſed infinitipotẽs eſt,non ergo infinitum ſecundum magnitudinem, vel multitudinem eſt.

PROPOSITIO. LXXXVII.

OMne quidem ſempiternum,ens eſt; non autem omne ens,ſempiternum.

DEMONSTRATIO.

ETenim generabilibus ineſt quodammodo entis participatio, quatenus nõ ſunt hæc ens illud quod nullomodo eſt. Si vero generabile non eſt, nullomodo ens, eſt aliquo modo ens, ſempiternum autem nullatenus generabilibus ineſt.& maxime,ijs quæ,neque ſecundum totum tempus,æternitatis participant. At omne ſempiternum,ſemper eſt;participat enim ſempiternitatẽ, quæ ſemper eſſe tribuit ijs,a quibus participatur. Ens ergo a pluribus participatur, quàm ſempiternitas. Supra ergo ſempiternitatem,ens eſt. Quæ enim ſempiternitate participânt,etiã ente participãt. Quæ vero ente,non omnia etiam ſempiternitate.

PROPOSITIO. LXXXVIII.

OMne enter ens,vel ante ſempiternitatem eſt,vel in ſempiternitate,vel particeps ſempiternitatis.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

QVòd enim ſit ante ſempiternitatem, demõſtratum eſt. Sed etiam in ſempiternitate. Sempiternitas enim ipſum ſemper,cũ, ente habet. Et quod participat ſempiternitate. Sempiternum enim omne participatione ſemper,& entis ſempiternum dicitur. Hoc enim ſecundum participationem,ambo habent,& ſemper,& ens. Sempiternitas autem,primo quidem, ſemper habet,ens autem per participationem.Ens autem ipſum,primo ens eſt.

PROPOSITIO. LXXXIX.

OMne primo ens,ex termino eſt,& interminato.

DEMONSTRATIO.

SI em̃ infinitipotens eſt,clarum quod infinitum eſt,& hac ex infinito,ſubſtitit. Si autem impartibile eſt, & vniforme hac termino participauit. Quod em̃ particeps vnius eſt,terminatũ eſt.Sed impartibile, ſimul & infinitipotẽs eſt. Ex termino ergo,& infinito,omne enter ens.

PROPOSITIO. XC.

OMnibus quæ ex termino, & infinito ſubſiſtunt, præexiſtunt per ſe,primus terminus,& prima infinitas.

DEMONSTRATIO.

SI enim aliquorum entium,ea quæ a ſe ſunt entia, præexiſtunt,vt communis omnibus, & primariæ cauſæ, & non aliquibus,ſed omnibus ſimpliciter, oportet ante id quod ex ambobus eſt, eſſe primum terminum, primum infinitum. Terminus enim in mixto, infinito participat, & infinitum, termino.At primum cuiuſque,non aliud eſt,quàm quod eſt. Non ergo oportet terminiforme eſſe, primo infinitum, neque infinitiforme, primus terminus. Ante miſtum ergo hęc ſunt primo.

PROPOSITIO. XCI.

OMnis potentia, vel terminata eſt, vel infinita. Sed terminata quidem omnis, ex infinita potentia ſubſiſtit. infinita vero potentia ex prima infinitate.

DEMONSTRATIO.

POtentiæ enim aliquando exiſtentes terminatæ ſunt. Lapſæ a ſemper eſſendi infinitate. Potentiæ autem ſemper entium, infinitæ, numquam ſuam ipſorum relinquentes exiſtentiam.

PROPOSITIO. XCII.

OMnis multitudo infinitarum potentiarum ab vna dependent prima infinitate, quæ non veluti participata potentia eſt, neque in potentibus ſubſiſtit, ſed per ſe, non alicuius exiſtens potentia participantis, ſed omnium cauſa entium.

DEMONSTRATIO.

SI enim ens ipſum primum, habet potentiam, nõ eſt tamẽ ſepotentia, habet enim & terminum. Prima autem potẽtia infinitas eſt. Infinitæ enim potẽtiæ, per participationem infinitatis, ſunt infinitæ. Ipſinfinitas ergo, ante omnes erit potentias. Ob quam, etiam ens, infinitipotens, & omnia participarunt infinitate. Neque enim primum, infinitas eſt, mẽſura enim omnium: illud bonum exiſtens, & unum. Neque ens. Infinitum enim hoc eſt. Sed non infinitas. Inter ergo primum, & ens, infinitas, omnium cauſa infinitipotentium. & cauſa omnis, in entibus infinitatis.

PROPOSITIO. XCIII.

OMne infinitum in entibus, neque ſuprapoſitis infinitum eſt, neque ſibi ipſi.

DEMONSTRATIO.

CVi enim infinitum unumquodque, huic ẽt incircũſcriptile exiſtit. Omne vero quod in illis eſt, & ſibi terminatum eſt, & omnibus quæ ante ſe. Solis itaque relinquitur, dete-

deterioribus infinitum esse, id quod in illis infinitum est quibus superexpansum est in tantum, vt omnibus ipsis imperceptibile existat. Nam etiamsi quantumuis illa ad id intendantur, habet aliquid, omnino ab ipsis secretum. Atque etiā si ingrediantur omnia in ipsum, habet tamē occultum quid secundis, & incomprehensibile. & si expandit suas potētias, habet tamen aliquid ob vnionem, insuperabile, cōuolutum, atque egressum illorum explicationem, seque ipsum continens, & terminans non iam sibi infinitum existit, neque multo magis superioribus, portionem habens eius, quę in illis est infinitatis. Infinitiores enim uniuersaliorum potētiæ cū sint vniuersaliores, & vicinius ordinatæ ad primissimam infinitatem.

PROPOSITIO. XCIIII.

OMnis quidem ęternitas, infinitas quædam est, non autem omnis infinitas, æternitas.

DEMONSTRATIO.

MVlta .n. infinitorū non semper q̃a, sint, habent infinitum, sicut secundum multitudinem infinitas, & secundum magnitudinem, & materiæ infinitas, & si quid aliud tale est, vel quia impertransibile sit, infinitum existens, vel ob interminationem essentiæ. Quòd autem æternitas, infinitas sit, clarum est. Quod enim numquàm deficit, infinitum est. hoc vero, quod semper substantiam indeficientem habet. Infinitas ergo ante æternitatem est. Plurium enim constitutiuū, & uniuersalius, magis causa est. Supra ergo sempiternitatem, prima infinitas, & per se infinitas ante sempiternitatem.

PROPOSITIO. XCV.

OMnis potentia magis vna existens infinitior est, quàm multiplicata.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

SI enim prima infinitas proxima vni, & potentiarum quæ vni cognatior eſt,ea quæ ab eo abeſt magis, infinita eſt. Multiplicata enim ammittit vniforme. in quo manens ad alias habebat ſuperioritatem. contenta ob impartibilitatē. Etenim in partibilibus,potentiæ contractæ multiplicantur. Partitæ vero, debilitantur.

PROPOSITIO. XCVI.

OMnis terminati corporis potentia infinita exiſtens,incorporea eſt.

DEMONSTRATIO.

SI enim corporea eſt, & corpus hoc infinitum eſt inerit,finito infinitum. Si vero finitum,non quatenus corpus, eatenus id potentia eſt. Si enim qua corpus, finitum eſt,& potentia infinita, non erit ſecundum quod corpus potētia.Incorporea ergo eſt ea potentia,quæ in finito corpore, inexiſtit infinita.

PROPOSITIO. XCVII.

OMnis in vnaquaque ſerie, primaria cauſa, vniuerſæ ſeriei ſuam communicat proprietatem, & quod eſt illa primo,hoc eſt ipſa ſeries,per remiſsionem.

DEMONSTRATIO.

SI enim dux eſt vniuerſæ ſeriei, & omnia coordinata ad cauſam illam ordinantur, clarum ſanè quod omnibus unam ideam, per quam ſub eadem ordinatur ſerie, illa tribuit. Vel enim ſine cauſa, omnia ad illam ſimilitudinis participant,vel ab illa,in omnibus idem.Sed quod ſine cauſa ſit impoſsibile. Quod enim ſine cauſa eſt,etiam caſu eſt. Caſus autem in ijs in quibus ordo eſt, & ad inuicem connexio,& ſemper eodem modo ſunt,numquam erit. Ab illa ergo proprietatem illius ſubſtantiæ uniuerſa recipit ſeries. Si vero ab illa,clarum quòd cum remiſsione,& conueniente ſecundis deſcenſu. Vel enim ſimiliter,& in principe, & in ſecundis

cundis proprietas existit, & illud præest, hæc vero post illud substantiam sortita sunt, vel dissimiliter. At si hoc, clarum ꝙ ab uno multitudini identitas, & non èconuerso, & secūdò est in multitudine, ea quæ primò, in vno præexistit proprietas, seriem, excellens.

PROPOSITIO. XCIIX.

OMnis causa separata, vbique est simul, & nullibi.

DEMONSTRATIO.

COmmunicatione enim suæ potentiæ est vbique. hęc em̄ causa est completiua eorum quæ per se participare sūt apta, & princeps secundorum omnium, & præsens omnibus illustrationum fœcundis progressibus. Immista vero essentia, ad ea quæ in loco sunt, & excellenti puritate, nullibi est. Si enim separata est ab effectis, superstat omnibus. Similiter & in nullo est se ipsa, deteriore. Si enim vbique solum esset, causa quidem esse non prohiberetur, & in omnibus esse participantibus. ante omnia autem non esset separate. Si vero nullibi esse, ab vbique esse, seorsum est, ante omnia esse quidē nō prohiberetur, etiam nullius esse deteriorum, in omnibus vero non esset, vt causæ natæ sunt in causatis esse, suis ipsarū abundantibus communicationibus. Vt ergo, & causa existens, in omnibus sit ijs quæ possunt participare, & separata existens in se, sit ante omnia, ea quæ ab ipsa implētur, vbique est simul & nullibi. Ac non quidem, parte vbique, parte vero nullibi. Sic enim ipsa, a se ipsa distracta esset, & seorsum. Siquidem ipsius, aliud vbique & in omnibus, aliud nullibi, & ante omnia esset. Sed tota, vbique & nullibi eodem modo. Etenim quæ ipsam participare possunt, vniuersæ insunt & vniuersa illis inuenitur adesse, & illa, vniuersa separata est. Participans enim nō illam in se ordinauit, sed ab illa habuit, quantum capere potest. Neque communicando, se arctatur plurium participationibus, seorsum existens, neque participantia, defectiue participant, vbique existente ipso communicante.

PROPOSITIO. XCIX.

OMne imparticipabile, qua imparticipabile est, hac ab alia causa non substat. Sed ipsum, principium est, & causa participatorum omnium, atque ita principium omne, in vnaquaque serie, ingenitum est.

DEMONSTRATIO.

SI enim est imparticipabile, principatum in propria serie, sortitum est, & non prouenit ab alijs, non enim iam esset primum. Ad hæc proprietatem hanc secundum quam est imparticipabile, ab alio aliquo reciperet. Si vero alijs est deterius, & ab illis prouenit, nō qua imparticipabile est, hac prouenit, sed qua participans. A quibus enim descendit, hæc eadem participat, & quæ participat hæc non sunt primò. Quod vero imparticipabile est, id primò est. Non ergo qua imparticipabile, hac a causa est. Nam si a causa esset, participans esset, non autem imparticipabile. Qua vero imparticipabile est participantium causa est, & non ipsum participans alia.

PROPOSITIO. C.

OMnis series vniuersorum, in imparticipabilem causam, & principium refertur. Omnia vero imparticipabilia, ab vno dependent omnium principio.

DEMONSTRATIO.

SI enim vnaquæq; series idem aliquid patitur, est aliquid in vnaquaque præses, identitatis causa. Vt enim entia omnia ab uno, ita & omnis series, ab uno. Omnes autem imparticipabiles vnitates, in ipsunum reducuntur. Quoniam omnes, vni sunt analogæ. Qua ergo, idem aliquid, & ipsæ patiuntur ad unum analogiam, hac in ipsunum ipsis reditus fit. Et qua ab vno omnes sunt, nulla ipsarum principium est. sed ab illo sunt, vt a principio. Qua vero singulæ imparticipabiles, hac principium singulæ sunt. Quorundam ergo principium existentes, ab omnium principio pendent. Omnium enim principium est, cuius oīa participant. Participant autem omnia, solius primi, aliorum

vero non omnia ſed aliqua. Quare etiam ſimpliciter primum illud eſt. Alia vero, ad quendam ordinem ſunt prima, ſimpliciter vero non prima.

PROPOSITIO. CI.

OMnibus mentem participantibus, dux eſt imparticipabilis mens. & ijs quæ vitam, uita, & ijs quæ ens, ens. Horum vero ipſorum, ens, ante vitam eſt, uita autem, ante mentem.

DEMONSTRATIO.

QVoniam enim in vnoquoque ordine entium ante participantia ſunt imparticipabilia, oportet ante intellectualia, eſſe intellectum, & ante viuentia, vitam, & ante entia, ens. Quoniam vero præcedit, id quod plurium cauſa eſt, ea quę pauciorum, in illis, ens quidem erit primiſsimum. omnibus enim adeſt, quibus vita eſt, & intellectus. Viuens enim omne, & intellectionis particeps, eſt neceſſario non econuerſo. non enim entia omnia, viuunt, & intelligunt. Secunda vero, vita eſt. Omnia enim quibus intellectus adeſt, etiam uitam participant. non èconuerſo. multa enim uiuunt quidem, cognitionis autem inexpertia relinquũtur. Tertius vero eſt intellectus. Omne enim cognoſcens quouis modo, & viuit, & eſt. Si ergo plurium cauſa eſt ens; pauciorũ vero uita, & etiam pauciorum intellectus, primiſsimum ens. deinde vita, deinde intellectus.

PROPOSITIO. CII.

OMnia quouis modo entia ex fine ſunt & infinito, per primum ens. Omnia vero viuẽtia, ſui motiua ſunt per vitam primam. Omnia vero cognoſcentia, cognitionem participant, per primum intellectum.

DEMONSTRATIO.

SI enim quod in unaquaque ſerie imparticipabile, propriam proprietatem omnibus ijs, quę ſub eadem ſerie ſunt communicat, clarum ſanè quod etiam ens primiſsimum communicat omnibus finem ſimul & infinitatem, miſtum

ſtum

ſtum exiſtens ex his primo. & vita motum qui eſt, apud ſe. Vita enim prima progreſsio eſt,& motio, a ſtabili entis ſubſtantia. & intellectus cognitionem, omnis enim cognitionis ſumitas eſt in intellectu,& intellectus,primum cognoſcitiuum eſt.

PROPOSITIO. CIII.

OMnia in omnibus, propriè vero in vnoquoque.

DEMONSTRATIO.

ETenim in ente,& vita & intellectus eſt,& in uita, eſſe & intelligere,& in intellectu,eſſe & uiuere. Sed alibi quidem intellectualiter, alibi vitaliter, alibi autem enter, entia omnia. Cum enim vnumquodque,vel ſecundum cauſam ſit, vel ſecundum exiſtentiam, vel ſecundum participationem, atque in primo, reliqua ſecundum cauſam ſunt. & in medio, primum quidem per participationem, & tertium per cauſam.& in tertio,ea quæ ante ipſum,per participationem.In ente ergo,vita præeſt & intellectus. Vnoquoque autem ſecundum exiſtentiam characterem accipiente, neque ſecũdum cauſam (aliorum enim eſt cauſa) neque ſecundum participationem(aliunde enim habet hoc,quod participat) Enter eſt ibi, & viuere & intelligere vita eſſentialis & intellectus eſſentialis.& in uita ſecundum participationem,eſſe; ſecundum vero cauſam, intelligere. At etiam vitaliter vtrumque. Secundum hoc enim exiſtentia, & in intellectu, & vita & eſſentia, per participationem, ſed intellectualiter vtrumque. Namque eſſe intellectus, cognoſcitiuum eſt, & vita cognitio.

PROPOSITIO. CIV.

OMne primo ſempiternum,& eſſentiam,& actionem ſempiternam habet.

DEMONSTRATIO.

SI enim primò ſortitum eſt ſempiternitatis proprietatem, non,hac quidem ſortitum eſt,hac vero non. Sed vndequa

que

que participat. Vel enim secundum actionem participans, non participat secundũ essentiam. Sed est impossibile, actio enim præstantior erit essentia. Vel secundum essentiam participans, non participat secũdum actionem. erit primo sempiternum idem cum temporis participante, primo; & tẽpus quorundam quidem mensurabit essentiam primò, sempiternitas autem nullius, quæ omni tempore est præstantior. Siquidem primo sempiternum, non continetur secundum essentiam, a sempiternitate. Omne ergo primò sempiternum, & essentiam habet, & actionem sempiternam.

PROPOSITIO. CV.

OMne immortale, æternum, non autem omne ęternum, immortale.

DEMONSTRATIO.

SI enim immortale est, quod vitam semper participat. particeps vero vitæ semper, & essendi particeps est, & semp viuens, semper est. Itaque immortale omne, æternum. Est enim immortale, quod mortem suscipere non potest, & semper viuens: æternum vero id est, quod non esse suscipere non potest, & semper ens est. Si vero multa entium sunt prętantiora, & deteriora vita, non susceptiua vero immortalitatis, etiam semper entia. Non omne ergo æternum immortale est. Sed quòd multa semper entia, non immortalia sint, clarum. Sunt enim qnædam entium, expertia quidem uitę, semper tamen entia, & incorruptibilia, vt enim se habet ens ad vitam, ita æternum ad immortale. Vita enim quæ detrahi nõ potest immortale ipsum est. & ens, quod deterius nõ potest, æternum. ens autem, vita, capacius est, & immortali ergo æternum capacius.

PROPOSITIO. CVI.

OMnis penitus sempiterni, & secundum essentiam, & secundum actionem, & eius quod essentiam habet in tempore, medium est id quod quadamtenus est sempiternum, quadamtenus autem tempore mensuratum.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

QVod enim essentiam habet, a tempore comprehēsam, scd̄m oīa est tparium. multo.n.prius hoc est, & actionē tpariam sortitum est.qđ vero scd̄m oīa tpariū est.Scd̄m oīa sempiterno,oīno dissimile est. Progressiones vero oēs p similia.Est ergo aliquid inter hæc medium.Vel ergo essentia sempiternum, actione vero temporarium, est medium, vel èconuerso.Sed hoc impossibile:esset enim,quàm essentia, actio præstantior.Sed hoc impossibile.Relinquitur ergo, altetum esse,medium.

PROPOSITIO. CVII.

OMne quadamtenus sempiternum,quadam etiam tenus temporarium,ens est simul & generatio.

DEMONSTRATIO.

ETenim sempiternum omne,ens est, & quod mensuratur a tempore,generatio. Itaque si idem tēporis particeps est,& sempiternitatis,non secundum idem tamen,idem erit ens & generatio,non tamen secundum unum ambo.

CORELARIVM.

EX his sanè clarum,ꝙ generatio, & essentiam temporariā habens,refertur ad id quod,quadamtenus entis,quadātenus vero generationis cōicās,sempiternitatis simul, & tēporis participat,hoc vero in id refertur,quod secundum omnia sempiternum est. Quod vero secundum omnia sempiternum in sempiternitatem, sempiternitas vero in illud ens, quod ante sempiternitatem est.

PROPOSITIO. CVIII.

OMne in unoquoque ordine,particulare, dupliciter participare potest ea unitate,quæ in proximè superposita adornatione est,vel per propriam totalitatem, vel per id qđ in ipsa est,particulare & coniuge ad ipsum,secundum analogiam ad uniuersam seriem.

DEMONSTRATIO.

SI em̄ per similitudinē cōuersio oībus est. Illi vnico & qđ ī toti suprapòsito ordine,est,id particulare,qđ ī deteriore, dissi-

dissimile est, & vt vniuersali particulare. & vt ordinis alterius, & alterius. sed ad eiusdem seriei, vniuersale, simile est, ob proprietatis communionem. Et ad superpositã proprietatem proximè coordinatum, ob analogam subsistentiam. Clarum sanè, quòd per hæc media ipsi ad illud, nata est fieri cõuersio, vt per similia, in simile. Particulari enim particulare simile est, quod vero eiusdem est seriei, proprium. Illud vero suprapositæ seriei vniuersale, secundum vtrumque dissimile.

PROPOSITIO. CIX.

OMnis particularis intellectus, participat eam quæ est super intellectum, & primissimam unitatem, & per vniuersale, & per coordinatam ipsi particularem unitatem. Et omnis particularis anima, uniuersi particeps est intellectus & per uniuersalem animam, & per particularem intellectũ. & omnis corporis particularis natura, & per uniuersam naturam, & per particularem animam, particeps est uniuersalis animæ.

DEMONSTRATIO.

OMne enim particulare, particeps est, eius unitatis quæ est in suprapositο ordine, uel per propriam uniuersalitatem, vel per particulare quod est in illo, & ad ipsum coordinatum.

PROPOSITIO. CX.

OMnium secundum unamquamque seriẽ ordinatorum prima, & sui ipsorum unitati coniuncta, participare possunt eorum quæ in suprapositο ordine proximè stabilita sunt, per analogiam. Imperfectiora vero & remota a proprio principio, non sunt nata illis frui.

DEMONSTRATIO.

QVia enim alia sunt cognata illis, naturam in proprio ordine sortita præstantiorem & diuiniorem. alia longius progressa sunt: secundariam & ministerialem, non autem primificam, & principem in omni serie, sortita

progres-

progreſsionem, neceſſario, hæc quidem connate coniugantur ijs quæ ex ſuprapoſito ordine ſunt, alia autem inconiuncta ſunt ad illam. Non enim omnia æqualis ſunt dignitatis, etiamſi ex eadem ſint diſpoſitione. Neque enim vna rō eſt, ſed vt ab uno, & ad unum omnia progrediuntur a propria vnitate. Itaque neque potentiam ſortiuntur eandem. Sed hęc quidem ſuſcipere poſſunt cōtinue ſuperiorum participationes. Alia vero diſsimilia effecta, longinquis maximè progreſſibus, a principijs, priuata ſunt tali potentia.

PROPOSITIO. CXI.

OMnis intellectualis ſeriei, alij ſunt diuini intellectus ſuſcipiētes deorum participationes, alij vero, intellectus ſolum. Et omnis animaſticæ ſeriei, aliæ ſunt intellectuales animæ, in intellectus alligatæ proprios, aliæ autem animæ tātum. Et omnis corporeæ naturæ, aliæ quidem habent ēt animas præpoſitas deſuper, aliæ autem ſunt naturæ ſolum, expertes præſentię animarum.

DEMONSTRATIO.

VNiuſcuiuſque enim ſeriei, non vniuerſum genus ad id quod ante ſe, annecti natum eſt. Sed quod in ipſo perfectius, & coaleſcere ſuprapoſitis ſufficiens. Neque ergo omnis intellectus Deo annectitur, ſed ſummi, & unitiſsimi intellectuum. Iſti enim diuinis vnitatibus, ſunt cognati. Neque omnes animæ participant intellectum participabilem, ſed quæcunque intellectualiſsimæ ſunt. Neque omnes corporeæ naturæ fruuntur anima præſente, & participata. Sed perfectiores, & rationaliores, & ita in omnibus eſt ratio demonſtrationis.

PROPOSITIO. CXII.

OMnis ordinis primiſsima, formam habent eorum quæ ante ſe ſunt.

DEMONSTRATIO.

SVmma namque genera in vnoquoque per ſimilitudinem coniunguntur ſuperioribus, & per cōtinuitatem progreſ-

sionis uniuersorum. Itaque qualia illa sunt primo, talem sortiuntur, & hæc formã cognatam, illorum naturę. Apparentq; esse talia per proprietatem substantiæ, qualia ea quæ ante ipsa.

PROPOSITIO. CXIII.

OMnis diuinus numerus, vnius habet formam.

DEMONSTRATIO.

SI enim diuinus numerus causam habet præcedentẽ vnũ ipsum, vt intellectualis intellectum, & animasticus animam: Et est analoga vbique multitudo ad causam. Clarum sanè quòd etiam diuinus numerus, vniformis est. Siquidem ipsunum, Deus. Hoc vero, siquidem ipsum bonum, & ipsunum idem. Etenim ipsum bonum & Deus idem sunt. Nã supra quem nihil est, & quem oĩa appetunt, Deus hoc est, & a quo omnia sunt, & ad quod. Hoc autem bonum. Si ergo est multitudo Deorum vniformis est multitudo. At quòd sit clarum. Siquidem omnis causa principalis, propriæ multitudinis dux est, & similis est ad illam, & cognata.

PROPOSITIO. CXIV.

OMnis Deus, vnitas est per se perfecta. Et omnis per se perfecta vnitas, Deus.

DEMONSTRATIO.

SI enim vnitatum, duplex est numerus, vt ostensum prius est, & aliæ quidem per se perfectę sunt, aliæ vero, lumina ab illis. Ipsuni vero, & ipsi bono cognatus, & adnexus est diuinus numerus, vnitates sunt per se perfectæ. Et econuerso, si est per se perfecta vnitas, Deus est. Etenim, sicut vnitas ipsuni, & ut per se perfecta, ipsi bono, cognatissima excellenter est, & per vtrunque diuinæ proprietatis particeps est, sic & per se perfecta, est Deus.

CORE-

CORELARIVM.

SI vero esset veritas, non per se perfecta tamen, vel per se perfecta quidem substantia, non autem vnitas, in alterũ ordinaretur ordinem, ob proprietatis mutationem.

PROPOSITIO. CXV.

OMnis Deus superessentialis est, & superuitalis, & supermentalis.

DEMONSTRATIO.

SI namque vnitas est vnusquisque per se perfecta, singula vero hęc, nõ vnitas est, sed vnitum, clarum sanè, quòd supra omnia dicta essentiam, & vitam, & intellectum, est omnis Deus. Si enim hęc differunt adinuicem, omnia vero sunt in omnibus, unumquodque omnia existens, unum tantum non iam fuerit. Ad hęc, si primum, superessentiale est, omnis autem Deus, seriei est primæ qua Deus, superessentiales vnusquisque erit. Sed quòd primum, sit superessentiale clarum. Non enim idem est, vni esse, & essentię esse. Neq; idẽ est, & unitum esse. Quòd si non idem, vel ambo primum erit, & erit non vnum solum, sed aliquid etiam aliud pręter unũ, & particeps unius, non autem ipsunum, vel vtrunque horũ. Sed si essentia quidem est, indigum erit vnius. Quod quidẽ impossibile est, vt bonum, & primum sit indigum. Vnum ergo, solum est illud. Itaque superessentiale. Si vero, quod vnũquodque est primò, huius proprietatem omni seriei largitur, & diuinus numerus omnis superessentialis est. Quandoquidem etiam similia producit ante dissimilia unaquęque principalium causarum. Si ergo primissimus Deus, superessentialis, & Dij omnes superessentiales. Hac enim similes erunt. Essentiæ vero si essent, ab essentia producerentur prima, vt vnitates essentiarum.

PROPOSITIO. CXVI.

OMnis Deus participabilis est præter unum.

DEMONSTRATIO.

QVod enim ille imparticipabilis sit, clarum est, ne participatus existens, & ob id alicuius factus, nō iam, omnium similiter, & præentium, & entium, causa sit. Quòd vero aliæ quoque vnitates participantur, iam demonstremus ita. Si enim est alia post primum, imparticipabilis vnitas, quid differet ab uno? Vel enim eodem modo est, vt illud. At quomodo, aliud quidem secundum aliud primum? Vel non eodem modo. Et hoc quidem ipsunum, hoc autem & vnum, & non unum. Sed non vnum hoc, si quidem nulla est substantia, erit solum vnum. Si vero substantia aliqua alia est præter vnum, participatum erit unum a non uno. & per se quidem perfectum, vnum, quo coniungitur ipsum. Itaque hoc rursus Deus. Quod vero, non vnum substat, in participatione vnius substitit. Participabilis ergo omnis unitas, quę post unum substat, & omnis Deus participabilis.

PROPOSITIO. CXVII.

OMnis Deus, mensura est entium.

DEMONSTRATIO.

NAm si unius formam habet, omnis Deus, multitudines omnes entium definit, & mensurat, cum enim omnes multitudines sui natura indefinitæ sint, per unum definiuntur, unum uero, quod est, mensurans & terminans, qnibus adfuerit, uult circumducere in terminum, id quod tale non est, iuxta potentiam suam. Fit enim etiam illud uniforme participatione. Hoc uero ab interminatione, & infinitate discedit. Et quanto magis uniforme, tanto magis interminatum, & indefinitum. Mensuratur ergo omnis multitudo entium, a diuinis unitatibus.

PROPOSITIO. CXVIII.

OMne quodcumque fuerit in Dijs secūdum eorum proprietatem pręexistit in ipsis. & est proprietas ipsorum uniformis, & superessentialis. Vniformiter ergo, & superessentialiter omnia sunt in ipsis.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

NAmque ſi tripliciter unumquodque ſubſtat, vel p cauſam, uel per eſsẽtiam, uel per participationem. Primus autem omnium numerorum diuinus numerus, nihil in ipſis erit, ſecundum participationem. Sed omnia per eſsentiam, uel per cauſam. Sed etiam quęcunque, vt cauſę omnium pręacceperunt, appoſitę ſuę ipſorum unioni, pręacceperunt. Etenim omne quod per cauſam ſecũdis pręeſt, ut ipſum natum eſt, ita habet cauſam deteriorum. Omnia ergo ſunt in Dijs uniformiter, & ſupereſſentialiter.

PROPOSITIO. CXIX.

OMnis Deus, ſecundum ſupereſſentialem bonitatem ſubſiſtit, & eſt bonus, neque per habitum, neque per eſsentiam, &c.

DEMONSTRATIO.

NAmque & habitus, & eſſentię, ſecundũ, & remotum ſortiuntur ordinem, a dijs. Sed ſupereſſentialiter. Si enim primum, unum, & ipſum bonum eſt, & qua unum, ipſumbonum, & qua ipſumbonum, unum, & omnis ſeries deorum, & uniformis eſt, & boniformis, ſed qua unitas, hac bonitas. & qua bonitas etiam unitas, & a primo progreſsi, qui poſt primum ſunt boniformes, & uniformes. Siquidem illud, unum eſt, & ipſum bonum, ergo Dij omnes, unitates ſunt, & bonitates. Vt ergo unum quod eſt Dijs ſupereſſentiale, ita & bonum ipſis eſt ſupereſſentiale, non aliud quid exiſtens pręter unum. Non enim aliud unuſquiſque eſt, & poſtea bonum. Sed tantum, bonum. Sicut, neque aliud, & poſtea unum. Sed tantum, unum.

DE PROVIDENTIA.

PROPOSITIO. CXX.

OMnis Deus in ſua eſſentia, prouidere uniuerſis, habet, & primò prouidere, in Dijs eſt.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

OMnia enim alia quæ post Deos sunt, ob illorum communionem, prouident. Dijs vero prouidentia, conna ta est. Si enim bona communicare ijs quibus prouidetur peculiare est, prouidentis est proprietatis, Dij vero omnes, bonitates sunt, vel nulli communicabunt sese, & ita nullum erit bonum in secundis (vnde enim, id quod dicitur per participationē, quàm ab ijs qui primo, proprietates habēt.) vel si communicant, bona communicant, atque hac prouidebunt vniuersis. In Dijs ergo prouidentia primò. Sicut & nomen indicat. Prouidentia enim pronoea, actio est pro nu, prę uidentia. Ipso ergo esse Dij, & ipso bonitates esse, omnibus prouident, omnia implentes ea bonitate, quæ ante mentem est.

PROPOSITIO. CXXI.

OMne diuinum, essentiam quidem habet, ipsam bonitatē potentiam vero vniformem, cognitionem autem arcanam, & incomprehensibilem, omnibus simul secundis.

DEMONSTRATIO.

SI enim prouidet vniuersis, est in ipso potentia continens, ea quibus prouidet, per quam, insuperabilem, & & quæ describi nequeat, omnia impleuit seipso, & omnia sibi subiecerunt. Omnis enim principalis aliorum causa, & dominans, ob potentiæ abundantiam, dominatur, & continet secundum naturam. Et sanè, primissima potentia in Dijs non, his quidem imperans, his vero non, & omnibus nequaquam, omnium autem æquè præcipiens in se potentias entium, neque essentialis existens potentia, neque multo plus, inessentialis, sed existentię Deorum cōnata, & superessentialis. Sed enim, etiam termini omniū cognitionum, vniformiter in Dijs præexistunt. Propter enim diuinam cognitionem abstractam ab uniuersis, & aliæ omnes cognitiones substiterunt, quæ neque intellectualis est, neque multo minus earū, quæ post intellectum sunt cognitionum. Sed secundum pro-

prietatem

prietatem diuinam,ſupra mẽtem cõſtitutam. Si ergo cognitio eſt diuina, arcana eſt eadem,& vniformis cognitio.Si uero potentia incircumſcriptibilis omnibus, & comprehẽſiua omnium eodem modo. Si vero bonitas,eſſentiam eorum terminans.Etenim ſi omnia ſunt in ipſis,cognitio,potentia, bonitas,ſed eſſentia,optimo inſignitur.& ſubſiſtentia ſecũdum optimum eſt.hoc vero bonitas.

PROPOSITIO. CXXII.

OMne diuinum,& prouidentiam gerit ſecundorum, & ſeparatur a prouiſis,neque prouidentia remittente,eius impermixtam,atque vniformem excellentiam,neque etiam ſeparata vnione prouidentiam obſcurante.

DEMONSTRATIO.

MAnẽtes namque in eorum vniformi, & in eſſentia, omnia implerunt ſua potentia,& omne quod poteſt ipſa participare, fruuntur bonis,quæ ſuſcipere poteſt ſecundum menſuram propriæ ſubſtantiæ, cum illam ipſo eſſe,potiusve ipſo præeſſe, entibus, bona affulgent. Nam cum ſint non aliud, quàm bonitates, ipſo eſſe omnibus abundè, bona largiuntur, non ſecundum ratiocinationem facientes diſtributionem, ſed quia hæc quidem ſecundum dignitatem eorum recipiunt,illa uero, ſecundum ipſorum eſſentiam,tribuunt. Neque ergo prouidentes reſpectus recipiunt ad prouiſa, ipſo enim eſſe quod ſunt, omnia bonificant, omne autem ipſo eſſe agens, ſine reſpectu agit. Reſpectus enim additio eſt, ipſius eſſe, quare & præter naturam. Neque cum ſunt ſeparati, tollunt prouidentiam, ita enim auferrent, (quod nephas quidem eſt dicere) eſſentiam propriam, cuius proprietas, bonitas eſt.Non enim largitio deſcendit in omne quod participare poteſt, & maximum eſt, non boniforme, ſed beneficum.Hoc ergo,vel nullum habebit entium, quod vel Dij ſunt ante entia.Neque enim bonis per participationem,inerit maius bonum. Primis autem bonis, minus bonum.

PRO-

PROPOSITIO. CXXIII.

OMne diuinum, ipſum quidem ob ſupereſſentialem unionem ineffabile eſt, & ignotum omnibus ſecundis, a participantibus autem, comprehẽſibile eſt, & cognoſcibile. Quare ſolum, primum, penitus eſt ignotum, cum imparticipabile ſit.

DEMONSTRATIO.

OMnis enim per rationem cognitio, entium eſt, & in entibus habet ueritatis apprehenſionem. Etenim intellectiones attingit, & in intellectionibus ſubſtat. Dij autem ſupra omnia entia ſunt. Neque ergo opinione apprehenſibile eſt, diuinum, neque rationis diſcurſione, neque intellectione. Omne enim ens, uel ſenſibile eſt, & ob id opinabile, uel enter ens, & ob id intelligibile. Vel inter hæc, ens ſimul & generabile, & ob id rationabile. Si ergo Dij ſupereſſentiales, & ante entia extant, neque opinio eſt ipſorum, neque ſcientia, uel dianoea, neque intellectio. Sed a ſeparatis, quales ſunt ipſorum proprietates, cognoſcuntur, & hoc neceſſario. Secundum enim participatorum proprietates, etiam participantium condiuiduntur differẽtię. Neque omne participat omne, neque enim compoſitio eſt omnino diſsimilium, neque quoduis, particeps eſt cuiuſuis. Sed cognatum unicuique coniungitur, & ab eo progreditur.

PROPOSITIO. CXXIIII.

OMnis Deus impartibiliter quidem partibilia cognoſcit ſine tempore uero, ea quę ſunt in tempore, & non neceſſaria neceſſariò. & mutabilia, immutabiliter, & omnino, omnia pręſtantius, quàm ſecundum ipſorum ordinem.

DEMONSTRATIO.

SI enim omne quodcũque fuerit apud Deos, ſecũdum ipſorum eſt proprietatem, clarum ſanè eſt, quòd non ſecũ-

dum

dum deteriorum naturam, in Dijs existẽs cognitio ipſorum erit, ſed ſecundum illorum eximiam excellentiam. Vniformis ergo, & abſque paſsione erit cognitio multiplicatorum & paſsibilium. Sed etiam ſi cognoſcibile fuerit partibile, diuina tamen cognitio impartibilis. & ſi partibilium, impartibilis, & ſi mutabilium, immutabilis, & ſi contingentium, neceſſaria, & ſi interminatorum, terminata. Non enim a deterioribus, diuinum ſuſcipit in ſe, cognitionem, vt ita cognitio ſe habeat, vt cognoſcibile habet naturam, ſed deteriora, circa terminatum Deorum interminantur, & circa immutabile mutantur, & impaſsibile paſsibiliter ſuſcipiunt, & quod ſine tempore, temporaliter. Deteriora enim, vt præſtantioribus tranſgrediantur poſsibile eſt, Dijs vero, in ſe recipere aliquid a deterioribus, nephas eſt.

PROPOSITIO. CXXV.

OMnis Deus a quo inceperit ordine, indicare ſeipſum, progreditur per omnia ſecunda. Semper quidem multiplicans ſuas cõicationes, & partiens, ſeruans tamen proprietatem propriæ ſubſtantiæ.

DEMONSTRATIO.

PRogreſsiones enim cum per remiſsionem fiant, prima vbique multiplicant in ſecundorum deſcenſus. Progredientia vero ſecundum ſimilitudinem ad producentia, ſuam ipſorum ſuſcipiunt ordinationem. Ita vt vniuerſum, idem ſit quodammodo & alterum, progrediens cum manente, ob remisſionem quidem aliud apparens, ob cõtinuationem autem ad illud ab identitate non diſcedens. Quale autem eſt illud, in primis, tale in ſecundis ſubſtituens ſe, & ſeriei indiſſolubilem communionem cõſeruans. Patefit ergo unuſquiſque Deorum appoſitè ad ordines in quibus facit patefactionem: progreditur uero ibi uſque ad ultima, per generatiuam primorum potentiam. Multiplicat autem ſemper progreſſionem, quę fit ab uno in multitudinem. Seruat autem in progreſſu, ob ſimilitudinem progreſſorum ad identitatem uniuſcuiuſque ſeriei principalem, & primopificem cauſam.

PROPOSITIO. CXXVI.

OMnis Deus, vniuersalior quidem est eo, qui vni vicinior est. particularior vero, qui longinquior.

DEMONSTRATIO.

QVi enim plurium causa est, vicinior, ei est, qui oīa producit, qui vero pauciorum, lōginquior, & qui plurium causa est, vniuersalior est, & qui pauciorum, particularior, & vterque quidem vnitas est. sed alter potentia maior, alter vero minor secundum potentiam, & particulariores gignuntur ex vniuersalioribus, sine illorum partitione, (vnitates enim sunt,) & sine alteratione, (immobiles enim sunt,) & sine respectu multiplicati, (immixti enim sunt.) Sed a seipsis, secundas progignunt progressiones per potentiæ abundantiam diminutas, a primis.

PROPOSITIO. CXXVII.

OMne diuinum, simplex primò est, & maximè, & ob hoc sufficientissimum.

DEMONSTRATIO.

QVòd namque simplex sit, ex vnione clarum, nam maximè vnicum enim est, omne. Quod autem tale est, excellenter simplex est. Quòd vero etiam sufficientissimum, discat quis, si cogitet quòd compositum, indigum est, etiamsi non aliorum extra quæ est, sed illorum nihilominus ex quibus est compositum. Simplicissimum autem, & vniforme, ac vnum, bono idem est, in quo bono, se ipsum statuēs, sufficientissimum est. Tale autem est, diuinum omne. Neque ergo alijs eget, ipsa bonitas existens, neque ijs ex quib. est, cum vniforme sit.

PROPOSITIO. CXXVIII.

OMnis Deus, a vicinis quidem participatus, immediatè participatur, a longinquis autem, per media, vel pauciora, vel plura quædam.

DE-

DEMONSTRATIO.

ILla enim per cognationem vniformia cum ſint, & ipſa participare inde poſſunt diuinas vnitates. Quæ vero per diminutionem,& in multitudinem extenſionem, alijs indigent, magis vnitis,& participant ea quę per ſe vnitates ſunt, & non vnita. Namque inter per ſe vnitatem, & diuiſam multitudinem, vnita multitudo eſt. Coaleſcere quidem vnitati potens per vnionem, cognatum tamen exiſtens etiam diuiſæ multitudini per multitudinis emphaſim.

PROPOSITIO. CXXIX.

OMne corpus diuinum, per animam diuinam eſt diuinum. Omnis autem anima diuina, per diuinum intellectum. Omnis vero intellectus diuinus, per participationem diuinæ vnitatis,& vnitas quidem, ex ſe Deus eſt. Intellectus autem diuiniſsimum, anima vero diuina, & corpus diuiniforme.

DEMONSTRATIO.

SI enim ſupra intellectum eſt omnis diuinorum numerus, participationes autem per cognata, & ſimilia efficiũtur impartibilis quidem eſſentia, participabit primò, ſupereſſentiales vnitates. Secundò vero, ea quæ generationi coniuncta eſt. Tertiò vero generatio, & ſingula per proximè ſuperpoſita,& procedit quidem, vſque ad vltima in participantibus, Deorum proprietas, per media vero ea quæ ſunt ſibi cognata. Vnitas namque primo quidem intellectui dat ſuam eximiam in diuinis potentiam, & efficit etiam illum, talem intellectum, qualis eſt & ipſa, ſecundum vniformem multitudinem. Per intellectũ aũt,& animæ adeſt, inſerẽs ẽt illã intellectui,& coinflammans. Si intellectus iſte eſſet participabilis,& per animam vltimæ ſuæ proprietatis etiam corpori tribuit. Si particeps eſt aliquod corpus animæ, atque ita fit corpus, non ſolum animatum,& intellectuale, ſed etiam diuinam; vitam quidem, & motum accipiens ab anima, permanentiam autem indiſſolubilem ab intellectu. Vnionẽ ve-

ro diuinam a participata unitate. Vnumquodque enim suã essentiam communicat sequentibus.

PROPOSITIO. CXXX.

OMnis diuini ordinis, prima magis pendent ab iis, quę proxime ad ipsa ordinãtur, quàm ipsa a sequentibus. & magis pendent secunda a proxime suprapositis, quàm ab his ea, quæ post hęc.

DEMONSTRATIO.

QVanto namque uniformius aliquid est, & uniuersalius tanto etiam supereminentiam sortiũtur maiorem ad sequentia, & quanto diminutius secundum potentiam, tanto magis est sequentibus connatum magis. Et altiora quidẽ magis uniuntur sui ipsorum causalioribus, deteriora vero minus. Potentiæ enim est maioris, magis separari a remissioribus, & magis vniri pręstantioribus. Sicuti etiam è conuerso, ab his abscedere magis, & illis compati, diminutio est potentiæ. Quod sane accidit secundis in vnoquoque ordine, sed non primis.

PROPOSITIO. CXXXI.

OMnis Deus, a seipso propriam actionem incipit.

DEMONSTRATIO.

PRoprietatem enim pręsentię ad secũda in seipso primũ ostendit, quia etiam aliis sese communicat secundum superplenitudinem eius. Neque enim deffectus, proprius est Diis, neque plenitudo tantum. Defficiens enim omne, imperfectum est, & aliud perfectum facere, cum ipsum non sit perfectum, impossibile est. Plenum autem, quod est, sufficiens tantum est, nondum tamen in communicationem paratum. Superplenum ergo oportet esse id quod alia implet, & in alia extendens suas largitiones. Si ergo diuinum, omnia seipso implet bonis, his quæ in ipso sunt, vnum quodque superplenum est. Si vero hoc, in seipso primo pro

prietatem

prietatem habet,quam largitur aliis. Ita ſane etiam illis porrigit communicationes ſuperplenę bonitatis.

PROPOSITIO. CXXXII.

OMnes Deorum ordines,medietati alligantur.

DEMONSTRATIO.

NAmque omnes entium progresſiones, perſimilia efficiuntur,& multo ſanè magis,Deorum ordines indiſſolubilem habent continuitatem, vtpote uniformiter ſubſiſtẽtes,& ſecundum unum terminati principalem ipſorum cauſam. Vnitè ergo remisſiones fiunt, & ſolum per eam quę in entibus eſt,ſecundorum ad prima, ſimilitudinem. Quanto ſanè magis Deorum eſſentia in unione ſita eſt, quàm entiũ. Omnia ergo diuina genera, alligantur propriis medietatibus,ac non immediate in differentes penitus progresſiones prima procedunt, ſed per utriſque communia genera, a quibus ſcilicet progrediuntur, & quorum ſunt immediate cauſæ.Hęc enim extrema conducunt, in vnam unionem,his quidem ſubſtrata connatè, ab his verò pendent proximè, & bene ordinatam diuinorum conſeruant progenerationem.

PROPOSITIO. CXXXIII.

OMnis quidem Deus,unitas eſt benefica,vel bonitas vnifica.Et hanc habent eſſentiam, inquantũ unuſquiſque Deus.Sed primiſsimus quidem, ſimpliciter ipsũ bonum eſt,& ſimpliciter unum. Eorum uero, qui poſt primum ſunt,unuſquiſque, quædam bonitas eſt, & quędam unitas.

DEMONSTRATIO.

PRoprietas enim diuina ſecreuit unitates, & bonitates Deorum. Ita ut unuſquiſque ſecundum aliquod bonitatis idioma omnia bonificet,ueluti perficere,vel continere uel cuſtodire. Horum enim unumquodque quoddam bonum eſt,ſed non omne bonum.Vniformem vero cauſam,primum ipſum præſtituit.Quare,& ipſum bonum, eſt illud, ueluti omnis bonitatis conſtitutiuum. Neque enim omnes Deo-

Deorum essentiæ simul adæquantur vni, tãtam illud ad multitudinem Deorum sortitum est superemineutiam.

PROPOSITIO. CXXXIIII.

OMnis diuinus intellectus, intelligit ut intellectus, prouidentiam vero gerit, vt Deus.

DEMONSTRATIO.

NAm cognoscere entia, & in intellectionibus habere perfectionem, peculiare est intellectus. Dei vero prouidentiam gerere, & bonorum omnia implere. Communicatio vero hæc & impletio per vnionem fit, implentium ad ea quæ ante ipsa sunt. Quam etiam intellectus imitans in idem peruenit cum intelligibilibus. Qua ergo prouidet, Deus est, cum prouidentia, ante intellectus actionem substistat. Quare, & omnibus seipsum communicat ut Deus, non omnibus autem adest, vt mens. Namque ad quæ intellectualis proprietas non progreditur, ad hæc pertingit diuinitas. Etenim etiam ea quæ non intelligunt, prouideri volunt, & bonum aliquod participare, hoc vero, quia non omnia intellectum appetunt, neque ea, quæ participare possunt, bonum autem omnia appetunt, & properant acquirere, &c.

PROPOSITIO. CXXXV.

OMnis diuina vnitas, ab vno quodam entium participatur immediatè, & omne quod deificatur, in vnam vnitatem diuinam intenditur, & quotquot sunt participãtes vnitates, totidem etiam participantia sunt genera entium.

DEMONSTRATIO.

NEque enim duæ, vel plures vnitates ab vno participantur. Quo namque modo, proprietatibus quæ in ipsis sunt, permutatis, non etiam vnicuique connatum permutatur? cum per similitudinem coniunctio fiat. Neque vna vnitas a pluribus participatur diuisè, inconiunctilia enim multa sunt ad vnitatem, & ut entia, ei quæ ante entia, & vt multa,

ta,

ta, vnitati. Oportet autem, participans aliquatenus simile esse participato, aliqua autemtenus, aliud & disſimile. Cũ ergo participans, entium aliquid ſit, vnitas autem ſupereſſentialis, & ſecundum hoc diſsimilantur, vnum ergo oportet eſſe, participans, vt & ſecundum hoc, ſimile ſit participato vni. Si etiam, hoc quidem ita vnum, vt vnitas, hoc autem, vt paſſum ipſum vnum, & vnitum. per illius participationem.

PROPOSITIO. CXXXVI.

OMnis Deus vniuerſalior quidem exiſtens, & propius primo ordinatus, ab vniuerſaliori genere entium participatur. particularior vero & longinquior, a particulariori, & vt ens ad ens, ita vnitas ad vnitatem diuinam.

DEMONSTRATIO.

SI enim quot ſunt entia, tot etiam ſunt vnitates, & è conuerſo, vna ab uno participata, clarum ſanè eſt, quòd ſecundum unitatum ordinem, entium prouenit ordo, aſsimilatus ei, qui ante ipſum eſt. Et vniuerſalioribus quidem, vniuerſaliora coaleſcũt, particularioribus vero vnitatibus, particulariora entia. Quòd ſi nõ; rurſus diſsimilia diſsimilibus coniungentur, & ſecundum dignitatem diſtributio nõ erit, hæc vero impoſsibilia ſunt. Siquidem & alijs omnibus, unũ & propria menſura inde eluceſcit, & ab illis ſuperuenit. Multo ergo magis in ipſis ordo erit, participationis, ſimilia iuxta potentiam ſimilium deponens.

PROPOSITIO. CXXXVII.

OMnis vnitas, ſimul cum vno, ſtatuit ens illius particeps ens.

DEMONSTRATIO.

VNum enim, vt omnium eſt, conſtitutiuum, ita & vnitatum participatarum, & entium in unitates intenſorum, cauſa eſt. Quod vero ab unoquoque dependet, vnitas, ea quæ in illud eluceſcit, producit. Simpliciter quidem eſſe, vnum efficit. Connatum vero eſſe, vnitas facit,

cui

cui est connatum, ipsa ergo est, quę per se ipsam deffinit ens particeps eius, & proprietatem superessentialem in ipsa ostendit essentialiter. Ex eo enim quod primo est, vbique prouenit secundario, esse hoc quod est. Si quæ ergo est, Deitatis superessentialis proprietas, ipsa & entis est participantis ipsam essentialiter.

PROPOSITIO. CXXXIIX.

OMnium participantium diuinam proprietatem, & Deificatorum primissimum est, & summum, ipsum ens.

DEMONSTRATIO.

SI enim supra intellectum, & supra vitam est ens, ut demonstratum est, nam si plurimorum post vnum, causa est ens, summum erit. His enim vniformius est, & ob id omnino venerabilius. Aliud autem ante ipsum nō est, pręter unum. Ante enim vniformem multitudinem, quid aliud, quã vnum? Multitudo autem uniformis, est ipsum ens, vt ex termino existens, & interminato, & omnino ante essentiam superessentiale ens. Cum etiam in illustrationibus in secunda solum unum, pertingit ultra ens. Ens autem statim post vnum. Quod enim potentia est ens, nondum tamen ens, vnũ est secundum sui naturam, & quod post hoc iam actu ens, Et in principiis ergo entis, supra ens statim non ens, ut præstãtius ente, & unum.

PROPOSITIO. CXXXIX.

OMnia participantia diuinas unitates, incipientia ab ente, in corpoream desinunt naturam.

DEMONSTRATIO.

PRimum enim participantium est ens, vltimum autem corpus. Etenim & corpora diuina esse dicimus. Omnium enim generum, summa, Diis dicata sunt, corporum, animarum, mentium, vt in omni ordine, Diis analoga, contẽtiua, & conseruatiua secundorum sint, & unusquisque numerus totus sit, secundum totum in parte, habens in se omnia. Et ante alia, diuinam proprietatem. Est ergo, & corporaliter,

ter,& animasticè,& mentaliter diuinum genus,& clarum q̄d omnia hæc diuina sunt per participationem. Nam primo diuinum, in unitatibus consistit. Participantia ergo, diuinas vnitates, incipiunt quidem ab ente, desinūt autem incorpoream naturam.

PROPOSITIO. CXL.

OMnes diuinorum potentiæ desuper incipientes, & per proprias progrediētes medietates, vsque ad vltima perueniunt, & loca circa terram.

DEMONSTRATIO.

NEque enim illas prohibet aliquid, & vetat præsentiam in cuncta. Nihil enim egent, locis ac distantijs ob insuperabilem ad omnia excellentiam, & incommixtam vbique præsentiam. Neque quod illa participare idoneū est, prohibetur a participatione, sed simul ac aliquid ad participationem paratum fit, & illæ adsunt, neqne tunc aduenientes, neque antea absentes, sed semper eodem modo se habentes. Si ergo aliquid eorum quæ circa terram sunt, idoneum fuerit participare, & huic adsunt, & omnia adimplent sui: & superioribus quidem magis adsunt, medijs vero secundum eorum ordinem, & vltimis, postremò. Desuper ergo vsque ad vltima extendunt sese, vnde & in his sunt primorum imagines, & compatiuntur omnia omnibus: in primis quidem, secuuda præexistunt, in secundis autem prima apparent. Tripliciter enim erat vnumquodque, vel per causam, vel per existentiam, vel per participationem.

PROPOSITIO. CXLI.

OMnis prouidētia Deorum, alia quidem discreta est ab ijs, quibus prouidet, alia vero coordinata.

DEMONSTRATIO.

NAm alia secundum existentiam, & ordinis proprietatē omnino superpanditur illuminatis, alia vero cum sit

eiusdem ordinis rationis, prouident subiectis eiusdem ordinationis. imitanturque separatorum Deorum prouidētem actionem; & implere desiderant bonis quibus possunt, ipsa secunda.

PROPOSITIO. CXLII.

Omnibus quidem Dij adsunt eodem modo, non omnia autem eodem modo Dijs adsunt. Sed singula, secundum sui ordinem & potentiam participant illorum præsentiam, alia quidem vniformiter, alia autem multipliciter, & alia quidem æternè, alia secundum tempus, & alia incorporea, alia corporaliter.

DEMONSTRATIO.

Necesse enim est differentem participationem eorundē, vel a participante fieri, vel a participato. Sed diuinum omne semper eundem habet ordinem, & solutum ab omniū respectu, & incommixtum. Ab participante ergo relinquitur, mutationem prouenire, & non eodem modo, in his esse, & hæc alias aliter, & alia aliter adesse Dijs. Itaq; omnibus, eodem modo illi præsentes sunt, vt omnia nō eodem modo adsunt illis. Sed vt singula possunt, ita adsunt, & vt sunt, ita illis fruuntur. Etenim secundum mensuram præsentiæ, horum participatio est.

PROPOSITIO. CXLIII.

Omnia deteriora, præsentia Deorum decedunt etiāsi idoneum sit, participans. Omne quidem alienum a diuino lumine abscedit, illustrantur vero omnia repente a Dijs.

DEMONSTRATIO.

Semper enim diuina cōprehendunt magis, & potentiora sunt ijs, quæ ab ipsis proueniunt, participantium autem ineptitudo carētiæ diuini luminis causa fit. Debilitat enim etiam illam sui infirmitate. Illa vero debilitata aliud quid videtur dominium suscipere, non secundum eandem potentiam, sed secundum participantis impotentiam, vt exire videatur ex illustrationem diuinæ formæ.

PROPOSITIO. CXLIIII.

OMnia entia, & omnes entium ornatus in tãtum progressa sunt, in quantum etiam Deorum ordinationes.

DEMONSTRATIO.

ETenim cum seipsis Dij entia comproduxerunt, neq; potuit quicquam subsistere, & mensuram, & ordinem sortiri extra Deos. Namque perficiuntur omnia secũdum eorum potentiam, & ordinantur, & mensurantur, a Dijs. Et ante vltima ergo in entibus genera, præexistunt Dij qui etiam hæc disponunt, & largientes his quoque vitam, & formationem, & perfectionem, & conuertentes etiam hæc ad ipsum bonũ, & ante media similiter, & ante prima, & omnia alligantur, & irradicantur Dijs, & seruantur ob hanc causam. Abscedens autem aliquid a Dijs, & solitarium factum, penitus in non ens abscedit, & disperit, omnino priuatum ijs quæ ipsum cõtinebant.

PROPOSITIO. CXLV.

OMnis diuini ordinis proprietas, per omnia permeat secunda, & dat se ipsum omnibus deterioribus generibus, &c.

DEMONSTRATIO.

SI enim vsque eò entia progrediuntur, quo vsque etiam Deorum ornatus processerunt, in singulis generibus est diuinarum potestatum proprietas desuper illuminata. Defert enim vnumquodque a propria ptoxima causa proprietatem, secundum quàm illa substantiam sortita est. Dico sanè, veluti, si quæ est Deitas purgatiua, & in animab. est purgatio, & in animalib. & in plantis, & in lapidibus, & si quę custoditiua eodem modo, & si quæ cõuersiua, & si quæ perfectiua & si quę uiuificatiua similiter. Et lapis quidem particeps est, purgatiuæ uirtutis, corporaliter tantum. Planta aũt ẽt clarius scdm uitam. Animal autem habet etiam scdm motionẽ formam hanc, anima vero rationalis, rationaliter. intellectus autem intellectualiter. Dij vero superessentialiter, & uniformiter, & vniuersa series eandem habet poten-

tiam, ab una diuina causa. Atque etiam in reliquis eadem ratio est. Omnia enim pendent a Dijs. Et alia quidem ab alijs, alia ab alijs illustrantur, & series vsque ad infima descendunt, & hæc quidem immediatè, hæc vero per media plura vel pauciora, in illos annectũtur. Plena aũt omnia sunt Dijs, & quod singula habent secundum naturam, indè habent.

PROPOSITIO. CXLVI.

OMnium diuinarum progresſionum fines, ad ipsorum principia assimilantur. circulum, sine principio, ac sine fine seruantes per conuersionem ad principia.

DEMONSTRATIO.

NAm etiamsi vnumquodque progressorum conuertitur ad proprium principium a quo processit, multo sanè magis, vniuersi ordines, ab eorum sumitate progressi, rursus conuertuntur ad illam. Cõuersio finis in principium, vnum efficiunt totum, & terminatum, & in se ipsum inclinatum, & in multitudine vniformitatem ostentantem, per coinclinationem.

PROPOSITIO. CXLVII.

OMnium diuinorum ordinum summa, finibus assimilantur superiorum.

DEMONSTRATIO.

SI enim opus est continuationem esse diuini progressus, & proprijs medietatibus alligari singulos ordines, necesse est, summitates secundorum connecti finitionibus primorum. Coniunctio autẽ per similitudinem fit. Similitudo ergo erit principiorũ inferioris ordinis ad fines suprapositi, &c.

PROPOSITIO. CXLVIII.

OMnis diuinus ordo, sibi ipsi unitur tripliciter, a sumitate ea quæ in ipso est, a medietate, & a fine.

DEMONSTRATIO.

ILla enim vnicissimam (vt ita dicam) habens potentiam, in vniuersam eam transmittit vnionem, & vnit omnem, desu-

desuper manentem in seipsa. Medietas autem ad vnaque extrema pertingens, connectit omnem, circa se. primorum quidem transuehens dona: vltimorum vero extendens potentias, & omnibus communionem indens, & connexionem ad inuicem. Vna enim hoc modo fit coordinatio, ex implentibus, & ex impletis, veluti in quoddam centrum, in medietatem coinclinantium. Desinentia autem rursus conuertitur in principium, & progressas reducens potentias, similitudinem, & coinclinationem toti ordini præbet. Atque ita omnis simul ordo vnius est, propter primorum vnitiuam potentiam, propter continētiam, quæ est in medietate, ac propter conuersionem finis progressionum, in principium.

PROPOSITIO. CXLIX.

OMnis multitudo diuinorum unitatum, terminata est secundum numerum.

DEMONSTRATIO.

NAm si proxima est vni, non infinita existit: non enim infinitum connatum est vni, sed alienum. Si enim & multitudo, per se abscedit ab vno, infinita sanè multitudo clarum est, quod omnino deserta est ab illo. Quare etiam impotens & inefficax. Non ergo infinita est deorum multitudo. Vniformis ergo & terminata, & omnis alterius multitudinis, magis terminata. Omnis enim alterius multitudinis vni cognatior est. Si ergo principium est multitudo, oportebat vicinius principio, magis esse multitudinem, quàm longinquius. Similius enim quod est vicinius. Sed cum vnum sit, ipsum primum, illud contingens multitudo, minus multitudo est, quàm longinquior. Infinitum autem, non minus multitudo est, sed maximè multitudo.

PROPOSITIO. CL.

OMne progrediens in diuinis ordinibus, suscipere omnes producentis potentias non est natum, neque omnino, secunda, omnes eorum quæ sunt ante ipsa. Sed habēt illa aliquas a deterioribus abstractas potentias, & incomprehensibiles ijs, quæ post ipsa sunt.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

SI enim deorum proprietates differũt, diminutorum quidem in superioribus præexistunt, superiorum vero, uniuersaliores sunt, & in diminutis non sunt. Sed præstantiora alias quidem indunt, ijs quæ a se producuntur, alias autem in se ipsis præoccuparunt eminenter. Demonstratum enim est, quod vniuersaliores sunt, quæ proximiores sunt vni, particulariores vero quæ longinquiores. Si autem vniuersaliores particulariorum comprehensiores habent potentias, non ergo illorum potentiam, ij qui secundum habent ordinem, & particulariorem, comprehendent. Est ergo in superioribus incomprehensibile aliquid, & incircumscriptibile remissis. Namque infinitum est, vnumquodque diuinorum reuera, neque suipsius ostensum est ens, neque se superioribus multo prius, sed ijs quæ post ipsa sunt omnibus. Infinitas autem secundum potentiam, in illis. Infinitum autem incomprehensibile, quibus est infinitum. Nõ ergo omnium potentiarum participia sunt inferiora, quas in se ipsis præoccuparunt præstantiora. Erant enim illa incomprehensibilia secundis. sicuti sanè, & ipsis, secunda. Neque ergo omnes illorum habent hæc, eo quòd particulariora, neque quas habent, eodem cum illis habent modo. ob infinitatem quæ facit illas superferre deterioribus.

PROPOSITIO. CLI.

OMne paternum in Dijs, primificum est, & in boni ordine præexistens, per omnes diuinos exornatus.

DEMONSTRATIO.

ESsentias, enim secundorum, & potẽtias vniuersas, & substantias, ipsum producit secundum vnam ineffabilẽ eminentiam. Quare & paternum cognominatur, vnitam & boniformem unius potentiam præseferens, & procreatricem secundorum causam, & secundum vnumquemque Deorum ordinem, dux est paternum genus, producens a se ipso omnia & ornans. Vt pote quod ipsi bono, ordinatum est analogum. Et patres, alij sanè, vniuersaliores, alij particulariores. Sicuti ipsorum Deorum ordines, vniuersaliore & particulariore

riore differunt, secundum causæ rationem. Quotcunque ergo vniuersæ Deorum progresiones, totidem etiam patrum differentiæ. Si enim est in omni ordine analogum, ipsi bono; oportet paternum in omnibus esse, & procedere a paterna vnione, singula.

PROPOSITIO. CLII.

OMne gignitiuum Deorum, secundum infinitatem diuinæ potentiæ prouenit, multiplicans seipsum, & per omnia permeās, & indeficientiam in progresionibus secundorum excellenter demonstrans.

DEMONSTRATIO.

NAm multiplicare progredientia, & ab occulto in causis inuolucro, producere in progermina, cuiusnā alterius peculiare est, quàm infinitæ deorum potentiæ? per quam omnia diuina impleta sunt facundis bonis, ergo omniplenam alia a se producat, per superplenam potentiam. Generatiuæ ergo Deitatis proprium est, potentiæ dominium, multiplicans generatorum potentias, & fœcundas efficiens, & excitans ad generandum alia, & producere. Si enim singula, propriam quàm habent proprietatem primò, alijs communicant, omne sanè fœcundum ijs quæ post se, fœcundam innuit progresionem, & infinitatem figurat eam quę vniuersorum est, primigenia, a qua omnis generatiua procesit potētia, perennes diuinorū progresiones eminenter scaturiēs.

PROPOSITIO. CLIII.

OMne perfectum in Dijs, diuinæ perfectionis est causa.

DEMONSTRATIO.

VT enim aliæ entium sunt substantiæ, & aliæ superessentialium, sic sanè & perfectiones aliæ quidem Deorum ipsorum secundum essentiam, alię autem entium secundæ post illas, & illæ quidem per se perfectæ, & primopifices, quia etiam bonum in illis est primò, hæc vero per participationem habentes perfectionem. Alia ergo ob hæc Deorum est perfectio, & alia eorum quæ Deificantur. Quod vero

in

in Dijs primò est perfectum, non solum deificatis perfectionis causa est, sed etiam Dijs ipsis. Si enim qua est perfectum, vnumquodque conuertitur ad proprium principium, omnis diuinę cōuersionis causa est generis Deorum perfectiuū.

PROPOSITIO. CLIV.

OMne custoditiuum in Dijs, singula in proprio ordine conseruat, a secūdis uniformiter separatum, & in primis fundatum.

DEMONSTRATIO.

SI enim custodia cuiusque ordinis mensuram immutabiliter seruat, & continet omnia conseruata in propria perfectione, omnibus indit eminentiam super deteriora, & impermixtam vnamquamque stabilit in se permanenter, causa existens puritatis immaculatæ custoditis, inserit superiorib. perfectum enim est omne quod, primis immediatè est proximum, in se ipso vero manet, & deterioribus superextēditur.

PROPOSITIO. CLV.

OMne quidem uiuificans in diuinis generibus, cā genitiua est, non omnis autem fœcundus ordo, viuificans est.

DEMONSTRATIO.

VNiuersalior enim generatrix est, quàm uiuificatrix, & proximior principio. Generatio enim ostendit causam producentem entia in multitudinem. Viuificatio autē largitricem omnis uitę Deitatem repręsentat. Si ergo illa entium multiplicat substantias, hęc vero uitę progressiones cōstituit, sicut se habet ens, ad vitam, ita generatiuus ordo, se habebit ad vnigenam seriem. Vniuersalior ergo erit, & plurium causa, & ob id uicinior principio.

PROPOSITIO. CLVI.

OMnis quidem puritatis causa, in custodiente continetur ordine. Non autem e conuerso, conseruans purificanti generi idem est.

DEMONSTRATIO.

PVritas nāque incommixtionem ad deteriora indit omnibus Dijs. & purificatum, in prouidentia secundorum.

Custodia

Custodia vero etiam hoc efficit, & in se ipsis omnia cōtinet, & firmiter imponit superioribus. Vniuersalius ergo custoditiuum est, quàm purgatiuum. proprium enim simpliciter custodiæ est quidem cuiusque ordinem conseruare, & ad seipsum, & ad ea quæ & ante & quæ post ipsum sunt. Puritatis vero est secernere a deterioribus præstantiora. Hæc autē sunt primò in Dijs. Oportet enim vnam causam præcedere. Id qđ in omnibus est, & omnino, omnium bonorum vniformes mēsuræ ab illis præacceptæ sunt, & nullum est in secundis bonum, quod non præexistat in Dijs per causam. Vnde em̄ erit hoc, & quam habebit causam? In illis ergo etiam puritas est primò bonum, & custodia, & omne quod tale est.

PROPOSITIO. CLVII.

OMnis quidem paterna causa, omnibus, essendi est largitrix, & essentias entium cōstituit. Omne autem opifex, formationis compositorum præcedit, & ordinem, & eorum secundum numerum diuisionem, & est eiusdem cum paterno, ordinis in particularioribus generibus.

DEMONSTRATIO.

VTrumque enim est ordinis, ipsius termini, quia & essentia, & numerus, & forma, terminiformia omnia sunt. Itaque hac, coniugata sibi adinuicem. Sed quod opifex est in multitudinem deducit factionem, vniforme autem præbet entium progressiones, & hoc quidem formificum est, hoc autem substantificum. Qua ergo hæc differunt inter se, forma & ens, hac opificis paternitas differt. Est vero vnum quid, forma. Vniuersalior ergo, & causalior est paternitas, & supra genus opifex, vt ens vniuersalius forma.

PROPOSITIO. CLVIII.

OMnis causa anagogica in Dijs, & a purgatiuo, differt, & a conuertentibus generibus.

DEMONSTRATIO.

QVòd enim oporteat esse etiam hoc primo in illis, clarū quandoquidem uniuersorum bonorum ibi causæ omnes præexistunt. Sed ante purgatiuum præexistit, quia illud quidem soluit a deterioribus, hoc vero, coniungit præ-

ſtantioribus. Conuerſiui autem particulariorem habet ordinem. Quia omne conuertens, vel ad ſe conuertitur, vel ad præſtantius. Anagogici autem effectio ſecundum conuerſionem ad præſtantius figuratur, vt ad ſuperius, & ad diuinius ducens, id quod conuertitur.

PROPOSITIO. CLIX.

OMnis ordo Deorum, ex primis eſt principijs, termino, & intermino, ſed alius quidem magis ad termini cauſam, alius vero, ad interminati.

DEMONSTRATIO.

OMnis enim ex ambobus quidem prouenit, quia primarum cauſarum largitiones, permeant per omnia ſecũda. Sed alibi quidem terminus prædominatur in mixtione, alibi in terminus. Atque ita, hoc quidem terminiforme efficitur genus, in quo terminus dominatur, aliud vero interminiforme, in quo, interminitas.

PROPOSITIO. CLX.

DE INTELLECTV.

OMnis diuinus intellectus, vniformis eſt, & perfectus, & primò intellectus a ſe ipſo, & alias mentes producens.

DEMONSTRATIO.

SI enim Deus eſt, plenus eſt diuinarum vnitatum, & eſt vniformis. Si vero hoc, etiam perfectus bonitate diuina plenus exiſtens. Si vero hæc, etiam primò eſt intellectus, vt pote Dijs vnitus. Omni enim intellectu præſtantior eſt, deificatus intellectus. Primò vero cum ſit intellectus, etiam alijs ipſe dat ſubſtantiam. A primò enim entium, omnia ſecũda entia, eſſentiam acquiſiuerunt.

PROPOSITIO. CLXI.

OMne enter ens, a Dijs pendens, diuinum eſt intelligibile, & imparticipabile.

DE-

DEMONSTRATIO.

CVm enim primum ſit participantium diuina unione enter ens,vt oſtenſum eſt, & implet intellectum a ſe ipſo: etenim intellectus ens eſt, vt ente impletus diuinum eſt ſanè,intelligibile.Vt quidem deificatum, diuinum, vt autem impletiuum intellectus,& ab ipſo participatum,intelligibile; & intellectus quidem ens eſt, ob primo ens; ipſum vero primo ens,ſeparatum eſt ab intellectu,quoniam poſt ens,eſt intellectus.Imparticipabilia vero, ante participata exiſtũt. Itaque & coniuge ad intellectum ens, præexiſtit per ſe, & imparticipabiliter ens, intelligibile enim eſt,non ut intellectui coordinatum, ſed vt perficiens eminenter intellectum, quoniam etiam illi eſſe communicat, & implet illum eſſentia enter exiſtente.

PROPOSITIO. CLXII.

OMnis multitudo vnitatum illuſtrans enter ens, arcana & intelligibilis eſt. Arcana quidem vt vni coniuncta, intelligibilis autem,vt ab ente participata.

DEMONSTRATIO.

A Dependentibus enim omnes Dij appellãtur,quoniam & ſubſtantias ipſorum differentes, his ignotas cognoſcere eſt poſsibile. Ineffabile enim per ſe eſt omne diuinum, & ignotum.vt pote vni ineffabili connatum. A participantium autem permutatione,etiam illorum proprietates cognoſci contingit. Intelligibiles ſanè ſunt ij qui,enter ens illuſtrunt.Quia ſanè,enter ens intelligibile eſt,diuinum,& imparticipabile, intellectui pręexiſtit. Non enim hoc a primiſsimis dependeret Dijs, niſi etiam illi primificam haberent eſſentiam, & potentiam perfectiuam aliorum Deorum. Siquidem vt participantia ad inuicem ſe habent, ita ẽt participatorum ſe habent eſſentiæ.

PROPOSITIO. CLXIII.

OMnis multitudo vnitatum,participata ab imparticipabili mente intellectualis eſt.

DEMONSTRATIO.

VT enim se habet intellectus ad enter ens, ita vnitates ipsæ, ad vnitates intelligibiles se habent. Qua ergo illæ illustrãtes diuinum, & imparticipabilem intellectum, intellectuales sunt, sed non ita intellectuales, vt in intellectu consistentes, sed ut secundum causam intellectui præexistentes, & progenerantes intellectum.

PROPOSITIO. CLXIIII.

OMnis vnitatum multitudo participata ab imparticipabili anima, supermundana est.

DEMONSTRATIO.

QVoniam imparticipabilis anima primò supermundum est, & participati ab ipsa Dij, supermundani sunt, eam rationem habentes ad intellectuales, & intelligibiles quam habet anima ad intellectum, & intellectus ad enter ens. Vt ergo anima omnis ad intellectum dirigitur, & intellectus ad intelligibile conuertitur, ita sanè & supermundaui Dij intellectualibus excellunt, quemadmodum sanè, & hi intelligibilibus.

PROPOSITIO. CLXV.

OMnis multitudo vnitatum participatarum ab aliquo sensibili corpore, mundana est.

DEMONSTRATIO.

ILluminat enim super mundi partes, per medium intellectum & animam, neque enim intellectus sine anima adest alicui mundanorum corporum. Neque Deitas coniungitur immediatè, & animæ, per similia enim participationes fiunt. Et ipse intellectus, secũdum intelligibile ipsius, & summum, particeps est vnitatis. Mundanæ ergo vnitates, vt complentes totum mundum, & vt deificatrices apparentium corporum. Diuinum enim etiam horum vnumquodque est, non per animam, non enim ipsa primò Deus, neque etiam per intellectum, neque enim hic, vni idem est. Sed animatum quidem, & ex se motum, per animam. Semper vero

eodem

eodem se modo habens, & ordine optimo fertur, per intellectum, diuinum vero per unionem, & si potentiam habet prouidentem, ob hanc causam est tale.

PROPOSITIO. CLXVI.

OMnis intellectus, vel imparticipabilis est, vel participabilis. ac si participabilis, vel a supermundanis animabus participatus, vel a mundanis.

DEMONSTRATIO.

OMni enim multitudini intellectuum, imparticipabilis præest, primissimam habens existentiam. Participatorum alij quidem supermundanam & imparticipabilem animam illustrant, alij mundanam. Neque enim ab imparticipabili multitudo statim mundana est, si quidem progressiones per similia fiunt. Similius vero imparticipabili est quod separatum est a mundo, quàm quod diuiditur circa ipsum. Neque sola supermundana consistit multitudo, sed sunt etiam mundani. Si quidem & Deorum est mũdana multitudo, & ipse mundus animatus simul, & mẽte præditus est, & participatio mundanis animabus supermũdanorum deorum, per medios est mundanos intellectus.

PROPOSITIO. CLXVII.

OMnis intellectus seipsum intelligit. Sed primissimus quidem, seipsum solum, & unum numero, in hoc est intellectus & intelligibile. Singuli vero sequentes, seipsos simul, & quę ante eos sunt, & intelligibile est huic partim quidem, id quod est, partim vero id a quo est.

DEMONSTRATIO.

NAm vel se ipsum intelligit omnis intellectus, vel quod supra se est, vel quod post se. Sed si quod est post se, ad deterius conuertetur, cum intellectus sit, nec etiam ita, ille id cognoscet ad quod conuersus est. Vt pote qui non est in se ipso, sed extra se; sed typum ab ipso tantum, qui in se factus est ab illo. Quod enim habet, scit, & quod patitur, & non qđ non habet, & a quo non patitur. Si vero id quod supra se est intelligit per sui ipsius cognitionem, seipsum simul & illud

cogno-

cognoſcet, ſi vero illud tantum, ſeipſum ignorabit, cum intellectus ſit. Omnino autem, cognoſcens id quod ante ſe eſt, ſcit etiam quòd cauſa eſt illud, & quorum cauſa. Si enim hęc ignorabit, etiã illud ignorabit, quòd ipſo eſſe producit, quæ producit, & quæ producit non cognoſcens. Quod vero quis procreat, & quorum cauſa eſt, eo quòd quæ ante ſe cognoſcit & ſe ipſum inde procreatum cognoſcet. Omnino ergo, quæ ante ſe cognoſcens, cognoſcet etiam ſe ipſum. Si ergo eſt aliquis intellectus intelligibilis, ille ſe ipſum ſciens, & intelligibile nouit, intelligibilis exiſtens, quod eſt iſte. ſinguli vero, eorum qui poſt illud, id quod in ſe eſt intelligibile, intelligit ſimul, & quod ante ipſum. Eſt ergo etiam in intellectu, intelligibile, & in intelligibili, intellectus. Sed alter quidem intelligibili idem, alter ei quod in ſe, idem. ei vero quod ante ſe, non idem. aliud enim eſt ſimpliciter intelligibile, & aliud intelligibile, in intelligente.

PROPOSITIO. CLXIIX.

OMnis intellectus actu nouit, id quod intelligit, & etiam ꝙ intelligit, & non alterius quidem proprium eſt intelligere, & alterius, intelligere quòd intelligat.

DEMONSTRATIO.

SI enim eſt actu intellectus, & intelligit ſeipſum, nõ alium exiſtentem ab intellecto, ſcit ſe, & ſe intuetur: conſpiciẽs autem intelligentem, & conſpicientem cognoſcẽs ſcit quòd intellectus eſt actu, hoc vero ſciens, ſcit quòd intelligat, & non quod intelligit ſolum. Simul ergo ambo nouit, & intelligibile, & quòd intelligit illud, & intelligitur a ſe intelligente, &c.

PROPOSITIO. CLXIX.

OMnis intellectus in ſempiternitate eſſentiam habet, & potentiam & actum.

DEMONSTRATIO.

SI enim ſeipſum intelligit, & idem eſt intellectus, & intelligibile, & intellectio intellectui idem eſt, & intelligibili. Media enim cum ſit intelligẽtis, & intellecti, ijſdem illis exiſtentibus,

ſtentibus, erit ſanè etiam intellectio eadem ad vtrumque. Sed enim quòd eſſentia huius ſempiterna ſit. (Tota enim ſimul eſt) & intellectio ſimiliter. Si quidem eſſentiæ eadē eſt. Si enim immobilis eſt intellectus, non ſanè a tempore menſurabitur, neque ſecundum eſſe, neque ſecundum actionem. his autem, eodem ſe modo habentibus, etiam potentia eſt ſempiterna, &c.

PROPOSITIO. CLXX.

OMnis intellectus, omnia ſimul intelligit. Sed imparticipabilis quidem ſimpliciter omnia. Singuli vero eorum qui poſt ipſum, ſunt ſingulatim, omnia.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnis intellectus in ſempiternitate, & eſſentiam firmauit ſuam, & ſimul cum eſſentia, actionem, omnia ſimul intelliget. Omnia quidem particulariter, & alias aliud eorum quæ ſequuntur, non in ſempiternitate. Nam quod deinceps eſt, omne in tempore eſt. prius enim & poſterius, habent, quæ ſunt deinceps, & non ſimul omne. Si ergo ſimiliter intelligent omnes, non different ad inuicem. Si eñ ſimiliter omnia intelligunt, ſimiliter omnia ſunt, cū ſint quæ intelligunt. Similiter vero omnia exiſtentes, nō quidem hic imparticipabilis, hic vero non. quorum enim intellectiones, eædem ſunt, & eſſentiæ. Siquidem intellectio cuiuſque idem cuiuſque eſſe, & vnumquodque ambo eſt, & intellectio & eſſe. Relinquitur ergo, vel non ſimiliter omnia intelligere, vnumquemque, ſed vnum, vel plura, nō omnia tamen, vel omnia ſingilatim. Sed dicere quidem, non omnia intelligere intellectum, eſt eum facere ignorantem aliquid entium. Et eñ tranſibit, ſi intelligit, nō ſimul, ſed prius & poſterius cum ſit immobilis, & erit anima, deterior, ea quæ in motu omnia intelligit; vnum tantum intelligens, ob manentiam. Omnia ergo intelliget ſingilatim. Vel enim omnia, vel vnum. vel omnia ſingilatim, intellectio quidem omnium, ſemper in omnibus exiſtit, omnia vero, vno ex omnibus terminant. Itaque fiet aliquod prædominans in intellectione, & intellectis, vnum. cum omnia ſimul per vnum intelliguntur vno, ſibi omnia configurante.

PRO-

PROPOSITIO. LXXI.

OMnis intellectus, impartibilis est essentia.

DEMONSTRATIO.

SI enim sine magnitudine, & incorporeus, & immobilis est, impartibilis est. Omne enim quomodocunque partibile, vel per magnitudinem, vel per multitudinem, vel per actiones in tempore latū, est partibile. Intellectus vero secundum omnia sempiternus est, & vltra corpora, & vnita est, quæ in ipso est multitudo. Impartibilis ergo est. Quòd quidem incorporeus sit intellectus, conuersio eius ad se ipsum declarat. Corporum enim nullum ad se conuertitur. Quòd vero etiam sempiternus sit, actionis identitas ad essentiam ostendit. Ita enim demonstratum est antea. Quòd vero vnita sit multitudo, continuitas intellectualis multitudinis, ad vnitates diuinas, hæ enim sunt prima multitudo, intellectus vero post ipsas. Si ergo etiam multitudo est, omnis intellectus, vnita tamen est multitudo. Ante diuisum enim est, id quod est compactum, & vicinius vni.

PROPOSITIO. CLXXII.

OMnis intellectus, æternorum est proximè, & immutabilium secundum essentiam, procreator.

DEMONSTRATIO.

PRoductum enim ab immobili causa, omne immutabile est, secūdum essentiam. Intellectus vero immobilis, sempiternè omnia existens, & in sempiternitate manens, & ipso esse producit, quæ producit. Si autem semper est, & eodē modo est. Semper producit, & eodem modo. Nō ergo causa est, aliquando quidem entium, aliquando non entium, sed semper entium.

PROPOSITIO. CLXXIII.

OMnis intellectus intellectualiter est, & ea quę ante ipsum & quæ post ipsum.

DEMONSTRATIO.

ILla enim est secundum causam, quæcunque sunt post ipsum, alia vero per participationem, quæcunque ante ipsum. Intellectus autem idem est, & intellectualem sortitus

est

est essentiam. Secundum ergo sui essentiam, definit omnia, & quæ secundum causam sunt in alio, & quæ secundum participationem. Etenim vt singula nata sunt, ita participant præstautiorum. Sed non vt illa sunt. Vel enim eodem modo ab omnibus participarentur. at participant alia aliter. Secundum proprietatem ergo participantium & potentiam, participationes sunt. Intellectualiter ergo in intellectu sunt, ea quæ ante ipsum sunt. At etiam quæ post ipsum sunt, ipse intellectualiter est, non enim ex effectis est, neque illa habet in se ipso, sed causas illorum. Est autem omnium causa ipso esse, esse autem eius, intellectuale est, & causas ergo intellectualiter habet omnium. Itaque omnia intellectualiter habet omnis intellectus, & quæ ante se, & quæ post se. Vt ergo intelligibilia intellectualiter habet omnis, ita etiam sensibilia intellectualiter, &c.

PROPOSITIO. CLXXIIII.

OMnis intellectus, ipso intelligere procreat ea quæ post ipsum, & factio, in intelligendo est, & intellectio in faciẽdo.

DEMONSTRATIO.

SI enim intelligibile, & intellectus est idem, & esse cuiusq; in intellectione ea, quæ in seipso est, facit autem quæ facit ipso esse, & producit secundum esse quod est, & ipso intelligere producit producta. Esse enim & intelligere vnum ambo. Etenim intellectus, & omne ens quod in ipso est, idem. Si ergo facit ipso esse; & ipsum esse, intelligere est, facit ipso intelligere, & intellectio secundum actum in intelligendo, hoc vero, ipsi esse, idem, esse vero in agendo. immobiliter enim agens, ipsum esse in agendo semper habet. & intellectio ergo est in agendo, &c.

PROPOSITIO. CLXXV.

OMnis intellectus, ab ijs quæ secundum essentiam simul, & secundum actionem sunt intellectualia, participatur primò, &c.

DEMONSTRATIO.

NEcesse enim est, vel ab his, vel ab alijs, intellectualem quidem habentibus essentiam, non semper tamen intelligentibus, sed ab illis impossibile est. Etenim actio

intellectus immobilis est, a quibus ergo participatur, hæc semper participant intellectualem actionem faciẽtem. Semper intellectualia ipsa participantia. Sempiternitate enim actionis, id quod in parte aliqua temporis actionẽ habet, non coniunctibilem. Inter media autem, sicut in essentijs, ita ẽt in actionum mutationibus sempiternæ omnis actionis, & eius quæ in aliquo tempore perficitur, ea est quæ per omne tempus habet perfectionem. Nullibi enim progressiones fiunt immediatè. sed per cognata & similia, & secundum substantias, & actionum perfectiones eodem modo. Omnis ergo intellectus, ab illis participatur primò, quæ per omne tẽpus intelligere possunt, & semper intelligunt, etiamsi secundum tempus intellectio sit, sed non sempiternè.

CORELARIVM.

EX hoc ergo clarum est, quòd animam, aliquando intelligentem, aliquando vero non, intellectum proximè participare est impossibile.

PROPOSITIO. CLXXVII.

OMnes intellectuales formæ, & in se ipsis ad inuicem sunt, & per se singulæ.

DEMONSTRATIO.

SI enim impartibilis omnis intellectus est, & vnita, per intellectualem partium carentiã est ea, quæ in ipso est multitudo, in vno omnino erunt omnia entia, & impartibilia, vniuntur ad inuicem, & permeant omnia per omnia. Si vero immaterialiter sunt omnia, & incorporaliter, inconfusa sunt ad inuicem, & seorsum singula custodiunt suam puritatem, & manent, quod sunt. Declarat autem incõfusionem intellectualium formarum, appropriata participatio singulorum distinctè participantium. Namque si participata non distinguerentur, & essent seorsum adinuicem, neque etiam participantia, ipsis participarent distinctè; sed esset, multo magis, in deterioribus, indistincta confusio, in peiore existẽtibus ordine. Vnde enim fieret distinctio, cum constituẽtia, illas & perficientia essent indistincta & cõfusa? Rursus, vnionem formarum, continentis impartibilis substantia, attestatur,

tur,& vniformis essentia. Quæ enim habent in impartibili, & vniformi existentiam, in eodem impartibiliter sunt. Quonam enim modo partieris, quod impartibile est,& unum? Simul sunt,& in se ad inuicem tota per tota permeant sine distantia: non enim distans, ipsum continens, & ut in distanti, hoc quidem in hoc, illud vero alibi. Sed simul est in impartibili & vno, omne. ergo & in se ad inuicem. Omnes ergo intellectuales formæ, & in se inuicem sunt, vnitè, & seorsum singulæ distinctè.

CORRELARIVM.

SI vero quis super has demonstrationes, etiam exemplis egeat Theoremata contempletur, quæ in una anima sunt. Quę sanè omnia in eadem existentia, in essentia magnitudine carente, & vnita sunt ad inuicem. non magnum namque, non localiter habet, quæ in illo sunt, sed impartibiliter & sine distantia,& unita sunt,& distincta. Omnia enim sincere anima producit,& seorsum singulum, nihil attrahẽs a reliquis, quæ si non distinguerentur semper secundum habitum, neque etiam actio animæ distingueret.

PROPOSITIO. CLXXVII.

OMnis intellectus, plenitudo existẽs formarum, alius quidem vniuersaliorum, alius particulariorum est comprehẽsiuus formarum,& superiores quidem intellectus, vniuersalius habent, quæcunque particularius, habẽt ij qui post ipsos sunt. Inferiores vero, particularius, quæcunque vniuersalius, ij qui ante ipsos.

DEMONSTRATIO.

SVperiores enim, potentijs vtuntur maioribus, quia vniformiores sunt quàm secundi. Inferiores vero, multiplicati magis, diminuunt potentias quas habẽt. Quæ enim vni cognatiora sunt, quanti coarctatu, superant potentia, ea quę post sunt,& quæ ab uno longinquius, èc contra. Potentiam ergo superiores, maiorem prætendentes, multitudinem vero minorem, per minores secundum quantum formas, plura producunt, ob potentiam. Qui vero post illos, per plura producunt pauciora, secundum potentiæ defectum. Si ergo illi

per pauciora,plura producunt,vniuersaliores sunt, eę quę in ipsis sunt formæ. Atque si hi,per plura producunt pauciora, particulariores sunt,quæ in his sunt formæ.

CORELARIVM.

EX quibus sanè accidit,ea quæ secundum vnam formam ex superioribu s progenerata,secundum plures ideas ex secundis diuisim,produci. & èontra, ea quæ per plures & distinctas formas a deterioribus producta sunt, per pauciora, & vniuersaliora a superioribus produci. Atque vniuersum quidem & commune,omnibus participantibus desuper aduenire. partitum vero,& proprium,a secundis. Vnde secundi intellectus, propriorum particularioribus distinctionibus, dearticulant quodam modo, & attenuant primorum formationes, &c.

PROPOSITIO. CLXXIIX.

OMnis intellectualis forma, æternorum est conditrix.

DEMONSTRATIO.

SI enim sempiterna est,& immobilis omnis, immutabiliũ secundum essentiam est causa, & æternarum substantiarum,sed non generabilium & corruptibilium. Itaque omne secundum formam intellectualem conditum, intellectuale æternum est. Etenim si ipso esse omnes formas producit quę post has sunt,ipsarum autem esse, semper eodẽ modo habet, & producta ab ipsis,eodem modo habebunt,& æterna erũt. Neque ergo genera ea quæ secundum aliquod tempus,a causa condita sunt formali; neque corruptibilia, qua corruptibilia, formam habent intellectualem, præexistentem. Essent enim incorruptibilia & ingenita, ad illa substantiam habentes, &c.

PROPOSITIO. CLXXIX.

OMnis intellectualis numerus terminatus est.

DEMONSTRATIO.

SI enim est post ipsum, alia multitudo secũdum essentiam diminuta,atque ita propior vni,illud vero longinquior.

Propius

Propius vero quod est vni, minus est secundum quantũ, plus autem, quod longinquius. Etiam intellectualis numerus, minor erit, omni post ipsum multitudine. Non ergo infinitus est. Terminata ergo est multitudo mentium. Quod enim alio minus est, nõ est infinitum, quoniam infinitum, nullo minus est, qua infinitum.

PROPOSITIO. CLXXX.

OMnis intellectus totus est, veluti ex partibus constans, & vnitus est alijs, & distinguitur ab ipsis. Sed imparticipabilis intellectus, simpliciter uniuersalis est, & veluti partẽs omnes vniuersaliter in se habens. Particularium vero vnusquisque, vt in parte, vniuersum habet, atque ita omnia particulariter. Nam si singilatim est omnia, singilatim vero, nihil aliud est, quam particulariter.

DEMONSTRATIO.

VNiuersum ergo ita est in vnoquoque horum particulariter secundum vnum aliquid particularium prædominans, in omnibus determinatum.

PROPOSITIO. CLXXXI.

OMnis participatus intellectus, vel diuinus est, vt ex Dijs pendens, vel intellectualis tantum.

DEMONSTRATIO.

SI enim est diuinus, & imparticipabilis intellectus primò huic quidem cognatus est, non is qui secundum vtraque differt, & ipso non esse diuinus, & ipso non imparticipabilis esse. Quæ enim secundum vtrumque disimilia sunt, incõiunctilia sunt, adinuicem. Clarum etgo quòd, quadam tenus simile est medium, intellectui primò, aliqua autẽ tenus, disimile. Vel ergo imparticipabile est, & non diuinum, vel participatum & diuinum, sed omne imparticipabile, diuinũ est. vtpote vni analogum ordinem in multitudine sortitum. Erit ergo aliquis intellectus diuinus simul & participatus. Sed oportet esse intellectum, etiam non participantem diuinas vnitates, sed intelligentem tantum. Nam in vnaquaque serie, prima quidem suæ ipsorum vnitati coniuncta, partici-

pare

pare possunt proximè, ea quæ in suprapoſito ordine sunt. Ea vero quæ longinqua sunt a principe unitate, nequeunt ab illis pendere. Eſt ergo & intellectus diuinus, & intellectus intellectualis ſolùm, ille quidem ſecundum proprietatē intellectualem conſiſtit, quam a ſua unitate habet, & ab imparticipabili. Hic vero ſecundum vnionem, quam a participata vnitate ſuſcepit.

PROPOSITIO. CLXXXII.

OMnis diuinus intellectus participatus, ab animab. participatur diuinis.

DEMONSTRATIO.

SI enim participatio participãs, reddit ſimile participato, & connatum efficit. Clarum ſanè ꝙ, diuinam animam eſſe neceſſe eſt, eam quę diuinam mentem participat, & in diuinum intellectum directum, & per medium intellectum, eã quæ in ipſa deitas eſt, participare. Deitas.n.appẽdit intellectui, aĩam, ipſius participem, & annectit diuino, diuinum.

PROPOSITIO. CLXXXIII.

OMnis intellectus, participatus quidem, intellectualis uero tantum exiſtens, participatur ab animabus, neq; diuinis, neque ijs quæ in mentis, & amẽtiæ mutatione ſunt.

DEMONSTRATIO.

NEque enim diuinæ animæ ſunt, tales. neque mẽtis participes. Deos.n.animæ per mentem participant, vt demonſtratum eſt prius, neque etiam, mutationis ſuſceptiuæ ſunt. Omnis enim intellectus ab his quæ ſecundum eſſentiã ſemper, & ſecundum actionem intellectualia ſunt, participatur. Etenim hoc etiam clarum eſt, ex anterioribus.

DE ANIMA.

PROPOSITIO. CLXXXIV.

OMnis anima, vel diuina eſt, vel mutabilis ex mente in amentiam, vel inter hęc media ſemper manens, deterior tamen eſt diuinis animabus.

DEMONSTRATIO.

NAm ſi diuinus intellectus, a diuinis participatur animabus, intellectualis vero, ſolum ab his, quæ neque diuinæ ſunt, neque mutationis ſuſceptiuæ, ex intellectione in amentiã. Sunt autem etiam quæ hoc patiuntur, & aliquando quidem intelligentes, aliquando autem non. clarum eſt quòd tria genera animarum ſunt, & primæ quidem diuinæ. Secundæ vero, a diuinis, ſemper tamen mentem participantes. Tertiæ vero, quæ quandoque in mentem, quandoque in amentiam mutantur.

PROPOSITIO. CLXXXV.

OMnes quidem diuinæ animæ, Dij ſunt animaſticè. Omnes autem intellectualem participantes mentẽ, Deorum pediſiſſequæ ſemper ſunt. Omnes vero mutationis ſuſceptiuæ Deorum pediſſequæ aliquando.

DEMONSTRATIO.

SI enim aliæ habent diuinum lumen deſuper illuſtrãs, aliæ vero ſemper intelligunt, & aliæ, aliquando hanc ſortiũtur perfectionem. Illæ quidem in animarum multitudine, proportionatæ ſtatuuntur Dijs. Hæ vero ſemper ſectãtur Deos, ſecundum mentem operantes ſemper, & a diuinis pendent animis, hanc habentes ad ipſas rationem, quam intellectuale habet ad diuinum. Quæ vero aliquando intelligunt, etiam aliquando ſectantur Deos, neque mentem participant ſemper eodem modo, neque cum diuinis animabus cõuerti ſemper poſſunt. Quod enim aliquando intellectum ſortitur, nullo modo poteſt Deos ſemper ſectari.

PROPOSITIO. CLXXXVI.

OMnis anima, incorporea eſt eſſentia, & ſeparabilis a corpore.

DEMONSTRATIO.

SI enim cognoſcit ſeipſam, & omne ſeipſum cognoſcens ad ſe cõuertitur, & quod in ſe conuertitur, corpus non eſt. (Omne enim corpus inconuertibile ad ſe) neque

a corpore inseparabile. Etenim quod a corpore inseparabile est, non est natum ad se conuerti separaretur enim hac a corpore. Omnis ergo anima, neque corporea est essentia, neque a corpore inseparabilis. Sed quòd quidem cognoscat se ipsam, clarum est. Si enim quæ super ipsam sunt, cognoscit, & seipsam nata est cognoscere, multo magis, a causis quæ ante ipsam sunt, cognoscens seipsam.

PROPOSITIO. CLXXXVII.

OMnis anima immortalis est, & incorruptibilis.

DEMONSTRATIO.

OMne enim quod, quouis modo dissolui, & disperdi potest, vel corporeum est & compositum, vel in subiecto existentiam sortitum est. Et quidem, quod dissoluitur, vt ex multis existens, corrumpitur. Quod autem in alio natum est esse, a subiecto separatum, euanescit in non ens. Sed anima & incorporea est, & extra omne subiectum, in se ipsa existens, & ad seipsa se se conuertens, immortalis est sinu, & incorruptibilis.

PROPOSITIO. CLXXXVIII.

OMnis anima, & uita est, & viuens.

DEMONSTRATIO.

CVi enim aduenit anima, id uiuit necessario, & quod est anima priuatum, vita statim priuatum relinquitur. Vel enim per animam viuit, vel per aliud quid & non per animã. Sed per aliud quid solum, impossibile. Omne enim participatum, vel seipsum, vel sui ipsius aliquid participanti dat. Neutrum vero si patiatur, neque etiam participabitur. Anima autem participatur ab eo, cui adfuerit, & animatũ illud dicitur, quod animam participat. Si ergo, vitam adfert animatis, vel vita est, uel uiuens solum, vel vtrumque uita simul & uiuens. Sed si uiuens solum, nec amplius vita, sanè erit ex vita & non vita, non ergo cognoscit se ipsam, neque conuertitur ad seipsam. Vita enim est cognitio, & cognoscitiuum, qua tale est, uiuit. Si ergo aliquid in ipsa non uiuens est, hoc non habet per se cognoscendi potentiam. Si autem uita so-

lum

lum eſt, non amplius participabit intellectualem vitã. Quod enim vitam participat viuens eſt, & non uita tantum. Vita enim tantum prima eſt & imparticipabilis. Quæ vero poſt illam, viuens ſimul & vita. Anima vero nõ eſt imparticipabilis vita. Simul ergo vita eſt, & viuens, ipſa anima.

PROPOSITIO. CLXXXIX.

OMnis anima, ſeuiua eſt.

DEMONSTRATIO.

SI enim conuerſiua eſt ad ſeipſam, & conuerſiuum ad ſeipſum omne eſt per ſe ſubſtans, anima quoque, per ſe ſubſtans eſt, etiam ſe ipſam ſuſtinet. Sed enim & vita eſt, & viuens, & exiſtentia eius eſt, ſecundum vitalitatem. Etenim quibuſcunque adfuerit vitam communicat ipſo eſſe, & ſi fuerit participans idoneum, illico animatum fit, & uiuens, non ratiocinante anima, neque eligente, neque ratiocinio, & iudicio uiuificante. ſed ipſo eſſe, quod eſt vitam participabili largiente. Eſſe ergo ipſi idem eſt cum ipſo viuere. Si ergo eſſe a ſe ipſa habet, & hoc, cum uiuere idem eſt, & habet per eſſentiam ipſum viuere, & vitam ſibiipſi præbet, & a ſeipſa habet. Si vero hoc, ſeuiua ſanè fuerit anima.

PROPOSITIO. CXC.

OMnis anima, media eſt inter impartibilia, & quę circa corpora ſunt partibilia.

DEMONSTRATIO.

SI enim ſeuiua eſt, & per ſe ſubſtans, & ſeparabilem habet, a corporibus exiſtentiam, eximitur ac præſtantior eſt partibilibus omnibus, circa corpora. Illa enim inſeparabilia omnino a ſubiectis ſunt. Compartita molibus, & a ſe ipſis exceſſerunt, & ab eorum impartibilitate, corporibusque coextenſa ſunt. Atque etiamſi in vitis ſubſtent, non tamen ſui ipſorum vitæ ſunt, ſed participantium, etiamſi in eſſentia, vel in formis exiſtant, nõ ſunt ſui ipſorum formæ, ſed formatorum. Si vero non hæc ſolum ſunt, anima eſſentia eſt per ſe ſubſtãs, & vita ſeuiua, & cognitio ſuiipſius cognitrix, & ſeparabilis ſecundum hæc omnia a corporibus. Sed & participãs uitam.

Si vero hoc, etiam eſsentiam participans, participat autem cognitionem quoque ab alijs cauſis. clarum eſt ſanè, quòd deterior eſt, impartibilibus, quòd quidem vita aliunde impletur, & eſſentia, ſiquidem & vita, clarum eſt. Ante enim uitam, eſt & imparticipabilis uita, & imparticipabilis eſsētia. Quòd vero etiam, primum cognoſcitiuum eſt, clarum. Siquidem qua anima, omnis quidem vitam habet, non autem qua anima, omnis habet cognitionem. Etenim ignorat entia, anima quædam, anima manens. Non ergo primò, cognoſcēs eſt, neque ipſo eſſe, cognitio eſt. Secundam ergo eſsentiam habet, ab ijs quæ primò, & ipſo eſse cognoſcentia ſunt. Cum ergo huius eſse, diuiſum ſit a cognitione, non eſt impartibiliū anima. Demonſtratum autem eſt, ꝙ neque eorum quæ circa corpora ſunt partibilia. Media ergo vtrorumque eſt.

PROPOSITIO. CXCI.

Omnis anima participabilis, eſsentiam quidem ſempiternam habet, actionem autem in tempore.

DEMONSTRATIO.

Vel enim ambo ſempiternè habebit, vel ambo in tempore, vel alterum quidem ſempiternè, alterum vero in tēpore. Sed neque ambo ſempiternè, eſset enim impartibilis eſsentia, & nihil differet ab intellectuali ſubſtātia, animæ natura, ab immobili ſcilicet, ipſa per ſe mobilis. Neque ambo in tempore, eſset enim generabilis tantum, neque ſeuiua, neque per ſe ſubſtans. Nihil enim eorum quæ a tempore menſurantur, ſecundum eſsentiam eſt, per ſe ſubſtans. Anima autem eſt per ſe ſubſtans. Id enim quod ſecundum actionem ad ſeipſum conuertitur, & ſecundum eſsentiam ad ſeipſum cōuerſiuum eſt, & a ſe proueniens. Relinquitur ergo, hac quidem ſempiternam animam omnem eſse, hac autem temporis participem. Vel ergo, ſecundum eſsentiam ſempiterna eſt, ſecundum actionem vero, temporis participes, vel èconuerſo. Sed hoc impoſsibile. Omnis ergo anima participabilis quidem, eſsentiam ſempiternam ſortita eſt. actionem vero ſecundum tempus.

PRO-

PROPOSITIO. CXCII.

OMnis anima participabilis, ſemper entium eſt, & prima genitorum.

DEMONSTRATIO.

SI enim ſempiterna eſt ſecũdum eſsentiam, enter ens eſt ſecundum exiſtentiam, & ſemper ens. Nam quod ſempiternitatis eſt particeps, ſemper eſsendi particeps quoque eſt. Si vero ſecũdum actionem eſt in tempore, genita eſt. Omne enim temporis particeps, fit ſemper, ſecundum prius & poſterius temporis, & non ſimul eſt quod eſt, ſed totũ genĩtum eſt. Sinautem quadamtenus genita eſt, omnis anima ſecundum actionem, prima fuerit genitorum. Nam quod omnino genitum, longinquius eſt a ſempiternis.

PROPOSITIO. CXCIII.

OMnis anima proximè ab intellectu conſiſtit.

DEMONSTRATIO.

NAm ſi immutabilem habet eſsentiam, & ſempiternam ab immobili progreditur eſsentia. Nam quod a mobili progreditur eſsentia, omnino mutatur ſecundum eſsentiam. Immobilis ergo eſt omnis animæ cauſa. Si uero proximè ab intellectu perficitur, etiam cõuertitur ad intellectum & participat cognitionem, quam intellectus largitur, ijs quæ participare poſsunt. Omnis enim cognitio, ab intellectu, omnibus eſt, quibus eſt intellectus. In quod vero omnia conuertuntur ſecundum naturam, ab hoc etiam progreſsionem habent ſecundum eſsentiam. Omnis ergo anima, a mente progreditur.

PROPOSITIO. CXCIIII.

OMnis anima, omnes habet formas, quas intellectus primò habet.

DEMONSTRATIO.

SI enim ab intellectu progreditur, & intellectus creator eſt animæ, & ipſo eſse immobilis exiſtens, omnia intellectus

producit; dabit etiam animæ a ſe conſtitutæ omnium quæ in ipſo ſunt, eſsentiales rationes. Omne enim quod ipſo eſse agit, quod ipſum eſt primò, id producto, ſecundò tribuit. Intellectualium ergo formarum, anima ſecundò habet imagines, &c.

PROPOSITIO. CXCV.

OMnis anima, omnes eſt res, exemplariter quidem ſenſibilia, in imagine vero intelligibilia.

DEMONSTRATIO.

MEdia enim exiſtens impartibilium, & partibilium circa corpora, hæc quidē producit & creat: illa uero cauſas præſtatuit ante ſe, a quibus prouenit. Quorum ergo cauſa præexiſtit, hæc præaccepit exemplariter. A quibus vero conſtituta eſt, hæc per participationem habet, & vt germina primorum. Senſibilia ergo omnia per cauſam, præaccepit, & rationes materialium immateriales, & corporeorum, incorporeas, & diſtantium, indiſtantes habet. Intelligibilia vero, per imaginem, & formas illorum, impartibilium partibiliter, multipliciter vero, vniformium, per ſe mobiliter autem immobilium ſuſcepit. Omnia ergo eſt entia, prima quidem illa per participationem, hæc vero exemplariter quæ poſt ipſam, &c.

PROPOSITIO. CXCVI.

OMnis anima participabilis, corpore vtitur æterno primò, & ingenerabilem habente ſubſtantiam, & incorruptibilem.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnis anima per eſſentiam eſt æterna, & ipſo eſſe primò animat aliquod corporum, ſemper ipſum animat. Eſſe enim omnis animæ, immutabile eſt. Si vero hoc, etiam quod animatur ſemper animatur, & ſemper participat uitā. Quod vero ſemper uiuit, multo prius, ſemper eſt. Quod vero ſemper eſt, æternum eſt. Primò ergo animatum corpus, & primo pendens a quaque anima, æternum eſt. Sed enim omnis participabilis anima, a corpore aliquo participatur primò, ſi qui-

siquidem & participabilis est, sed non imparticipabilis, & ipso esse animat participans. Omnis ergo participata anima corpore vtitur primo æterno, & ingenito, & incorruptibili secundum essentiam.

PROPOSITIO. CXCVII.

OMnis anima, essentia est vitalis, & cognoscitiua, & vita essentialis, & cognoscitiua, & cognitio & essentia & vita, & simul, in ipsa, omnia, essentiale, vitale, & cognoscitiuũ, & omnia in omnibus, & seorsum singula.

DEMONSTRATIO.

SI enim media est impartibilium, & circa corpus partibilium formarum, neque ita impartibilis est, vt intellectualia omnia, neque ita partibilis, vt corporiformia. Cum ergo in corporeis essentiæ diuidantur, & vitæ, & cognitiones, impartibiliter sunt hæc in animabus, & vnitè, & incorporeæ, & simul omnia, ob immaterialitatem, & impartibilitatem, & cum in intellectualibus, omnia per vnionẽ sint, secreta sunt in animabus, & partita. Omnia ergo, & simul & seorsum. Si vero simul & in vno omnia impartibilia, per se se mutuo permeant, & si seorsum, diuisa sunt, rursus inconfusè. Itaque & in se ipso singula, & omnia in omnibus. Namque in essentia, vita, & cognitio. Quod si non, nõ cognoscet seipsam omnis, si essentia, & vita & cognitione priuatur per se. & in uita, & essentia, & cognitio. Amens enim vita, & sine cognitione, materialibus conuenit uitis, quæ neque cognoscere se ipsas possunt, neque essentiæ sunt sincerę. Et cognitio inessentialis, & sine vita, insubsistens est. Omnis enim cognitio, & uiuẽtis est, & essentiam per se sortiti.

PROPOSITIO. CXCIIX.

OMne quod temporis est particeps, & semper mouetur, periodis mensuratur.

DEMONSTRATIO.

QVia sanè tempore mensuratur, & motum & terminum participat motus, & per numerum incedit. Quia vero semper mouetur, & hoc semper, non est sempiternum,

num,ſed temporale,neceſse eſt vti periodis.Motus enim mutatio quædam eſt,ab alijs in alia. Entia vero terminata ſunt, multitudinibus,& magnitudinibus. His autem terminatis, neque in rectam,infinita mutatio eſt,neq; quod ſemper mouetur, terminatè procedere poteſt. Ab ijſdem ergo, ad eadẽ rurſus veniet,quod ſemper mouet,itaq; efficiet periodũ.

PROPOSITIO. CXCIX.

OMnis anima mundana, periodis vtitur propriæ vitæ, & reditibus.

DEMONSTRATIO.

SI enim a tempore menſuratur, & tranſitiuè operatur, & eſt eius propria motio. Omne autem quod mouetur, & temporis particeps æternum exiſtens,vtitur periodis,& periodicè reuoluitur,& redit ab ijſdem,in eadem, nimirum & omnis anima mundana,motum habens,& operans ſecundum tempus,& circuitus motuum habebit,& reditus. Omnis enim periodus æternorum eſt & etiam redit.

PROPOSITIO. CC.

OMnis animæ periodus tempore menſuratur. ſed aliarum quidem animarum periodus, aliquo tempore menſuratur. Primæ vero cum tempore menſuretur, vniuerſo tempore menſuratur.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnes motus, prius habent & poſterius, & periodi ergo, & ob id temporis participes ſunt, & menſurans omnes periodos animarum, tempus eſt. Sed ſi eædem quidem eſsent omnium periodi,& circa eadem, & tempus ſanè eſset omnium idem. Si vero alij aliarum reditus, & tempus periodicum aliud aliarum & reditiuum. Quòd quidem anima primò menſurata tempore,vniuerſo tempore menſuratur,clarum eſt. Si enim menſura eſt tempus omnis motus,primò motum, erit omnino temporis particeps, & ab toto menſuratum. Si enim uniuerſum tempus non eſſet menſurans,primò particeps,neque aliud quicquàm mẽſurabit, ſecundum ſe totum. Quod vero etiam omnes aliæ

animæ particularioribus vniuersi temporis mensurantur mensuris, clarum est ex his. Si enim particulariores sunt, quàm animæ eius, quæ primò temporis particeps est, non iã tempore vniuerso suas adaptabunt periodos. Sed multi ipsarum reditus, partes erunt vnius periodi, & reditus, quẽ quæ primò temporis particeps est, redit. Minoris enim potentię particularior est participatio. maioris autem vniuersalior. Vniuersam ergo temporalẽ mensuram, per unam vitam, alię animę suscipere nõ sunt natę, cum remissiorem ordinem sint sortitę, primo tempore mensuratę, quàm & quę inferiorem sortitæ sunt ordinem.

PROPOSITIO. CCI.

OMnes diuinę animę, triplices habent actiones, has quidem vt animę, aliàs vt quę mentem susceperunt diuinam, aliàs vero, ut a Dijs pendentes. Et prouidentiam gerunt vniuersorum vt Dij. cognoscunt vero omnia per intellectualem vitam, mouent autem corpora, per semobilem essentiam.

DEMONSTRATIO.

QVia enim naturaliter participant supermundana, & sunt animę non simpliciter, sed diuinæ animæ, analogum Dijs in animastica latitudine præseferentes ordinem, operantur, non animasticè tantum, sed etiam diuinè, sumitatem suę essẽtię deificatam sortitę, & quia intellectualem substantiam habent, ob quam etiam substratę intellectualibus essentijs sunt. Operantur ergo non diuinè solum, sed etiam intellectualiter, actionem aliam quidem secundum unum, quod in ipsis est, aliam vero eam quę secundum mentem est constituta. Tertia uero illis adest, secundum propriam existentiam actio. motrix quidem existens eorum quæ natura, alimobilia sunt: viuificatrix vero eorum quæ inductibilem habent vitam. Omnis enim animæ, hęc est propria operatio, alię vero per participationem, vt intelligere & prouidere.

PROPOSITIO. CCII.

OMnes animæ Deorum pedisequę, & semper Deos sequẽtes, deteriores quidem sunt diuinis, eminent tamẽ particularibus animabus,

DEMONSTRATIO.

DIuinæ nãque & mentis participes sunt, & Deitatis. Ideo intellectuales simul sunt, & diuinæ, & alijs animab. præsunt. Sicuti etiam Dij entibus omnibus. Particulares vero animæ, etiam in intellectum directione priuantur nequeuntes proximè diuinam essẽtiam participare. Neque enim ab intellectuali actione deciderent, si secundum essentiam participes essent intellectus, sicuti demonstratum est prius. Mediæ ergo sunt eę quæ semper Deos sequuntur animæ, mentẽ quidem participantes perfectam, atque hac particulares excedentes, non tamen diuinis unitatibus coniunguntur, non enim est diuinus, qui ab ijs participatus est, intellectus.

PROPOSITIO. CCIII.

OMnis animasticę multitudinis, diuinæ quidem animæ maiores cum sint alijs potestate, coarctantur secundũ numerum. Quæ vero seipsas sequuntur semper, & potestate, & quanto, medium tenent in omnibus ordinem. Particulares quidem, potentia deteriores quidem alijs sunt, in numerum vero maiorem sunt progressæ.

DEMONSTRATIO.

ILlæ enim sunt vni cognatiores ob essentiam diuinam: hę uero mediæ, ob mentis participationem. Istæ vero ultimæ secundum ordinem, dissimiliformes sunt secundum essentiam, & medijs, & primis. Viciniora vero vni, in æternis, ijs quæ longinquius, numero vnitiora sunt, & coarctantur in multitudinem. Longinquiora autem magis multiplicantur, & potentiæ superiorum maiores sunt, & hanc habent rationem ad secundas, quam, diuinum ad intellectuale, & hoc ad animasticum. Et quantitates inferiorum sunt plures. Quod enim longinquius est ab uno, multitudo magis est, & vicinius, minus multitudo.

PROPOSITIO. CCIV.

OMnis diuina anima, multis quidẽ præest animab. Deos semper sequentibus, pluribus etiam eorum quæ aliquãdo hunc ordinem susceperunt.

DEMONSTRATIO.

DIuina enim si sit, omnia generatiuum ordinem sortiri oportet,& primificum in animabus. Etenim diuinum in omnibus entibus præest vniuersis ; neque earum quæ aliquando solum. Si enim earum quæ aliquando sequuntur præsit aliqua tantum, quo modo contactus his erit ad diuinam animam? cum primitus sint differentes, neque intellectum proximè participent, neque multo magis Deos. Si vero semper sequẽtium est,quomodo vsque ad illas series processit? Erunt enim ita postrema,ipsa intellectualia, & sterilia,& perficere aliud,& reducere non nata. Necesse ergo est ab omni anima diuina primò quidem pendere sequẽtes animas,& per intellectum operantes, & in intellectus reductas particulariores esse,quàm sint intellectus diuini. Secundas vero particulares,& per has medias mentem participare, & diuinam vitam potentes. Namque per semper participantes præstantiorem partem, ea quæ aliquãdo participant perficiũtur. Et rursus plures esse circa vnamquamque animam diuinam,eas quæ aliquando sequuntur, animas quàm quæ semper sequuntur. Vnitatis enim potentia, secundum remissionem in multitudinem semper progreditur. Potentia quidem deficiens,numero vero superãs.Cum etiam vnaquæ anima earum quæ semper Deos sequuntur, pluribus præest particularibus animabus,imitans diuinã animam, & plures trahit animas,in primopificem vnitatẽ,totius seriei.Omnis ergo diuina anima, multis quidem præ est animabus earum quę semper deos sequuntur. Pluribus etiam earum quæ aliquando hunc ordinem adipiscuntur.

PROPOSITIO. CCV.

OMnis anima particularis, hanc habet rationem ad animam ad quam ordinatur secundum essentiam, quã vehiculum ipsius,ad illius vehiculum.

DEMONSTRATIO.

NAm si distributio vehiculorum sit secundum naturam singulis,necesse est omnis particularis animæ vehiculum eam habere rationem ad vehiculum vniuersalis,quæ est

eius ad illam. At distributio est secũdum naturam. Primò.n. participantia, per se coniũgũtur participatis. Si ergo vt diui na, ad diuinum corpus, ita particularis ad particulare, ipso esse participantis utraque, & quod a principio dictum est ve rum, quòd etiam vehicula eandem cum animabus habent adinuicem rationem.

PROPOSITIO. CCVI.

OMnis anima particularis, & descẽdẽs in generationem in infinitum, & ascendere potest a generatione ad ens.

DEMONSTRATIO.

SI namque aliquando sequitur Deos, aliquando vero decidit ab intensione in diuinum, & mentis, & amentię particeps est. Clarum sanè quòd per partes, & in generatione fit, & in Dijs est. Neque rursus toto deinceps tempore, erit in corporibus. Quod enim principium temporale nõ habet neque finem vnquàm habebit, & ꝙ nullum habet finem necesse est, neque principium habere. Relinquitur ergo periodos vnamquamque facere, ascẽsionum ex generatione, & in generationem descensionum, & hoc incessabile esse per infinitum tempus. Vnaquæque ergo anima particularis, & descendere in infinitum potest, & ascendere, & hoc nõ cessabit & passio hæc circa omnes fiet.

PROPOSITIO. CCVII.

OMnis particularis animæ vehiculum, a causa immobili effectum est.

DEMONSTRATIO.

SI enim ęternè pendet ab anima ipso utente, & connatè immutabile existens secundum essentiam, a causa immobili substantiam sortitum est. Quod enim a mobilibus causis fit, mutatur omne secundum essentiam. Sed omnis anima, æternum habet corpus, quod primò ipsius est particeps. Itaq; & particularis anima, & causa ergo vehiculi eius, immobilis est, & ob hoc supermundanum est.

PRO-

PROPOSITIO. CCVIII.

OMnis animæ particularis vehiculum, immateriale eſt, & indiuiſibile ſecundum eſſentiam, & impaſsibile.

DEMONSTRATIO.

SI enim ab immobili prouenit opificio, & eſt æternum, immaterialem ſubſtantiam habet, & impaſsibilem. Quæ em̃ pati ſecundum eſſentiam nata ſunt, & mutantur, & materialia omnia ſunt, & alias aliter ſe habentia a mobilibus cauſis pendent. Atque ideo mutationem ſuſcipiunt omnifariam, commota ſuis ipſarum principibus cauſis. Sed quod etiam indiuiſibile ſit, clarum eſt. Omne enim quod diuiditur, hac corrumpitur, qua diuiditur, a toto, & continuitate diſcedẽs. Si ergo immutabile ſecundum eſſentiam, & impaſsibile, indiuiſibile etiam fuerit.

PROPOSITIO. CCIX.

OMnis particularis animæ vehiculum, deſcendit quidem additione tunicarum materialiorum. Colligitur vero ad ipſam animam per ablationem omnis materialis rei, & per recurſum in propriam formam analogè ad vtentem animam.

DEMONSTRATIO.

ETenim illa quidem deſcendit irrationales, aſciſcens vitas, aſcendit vero, abijciens omnes generationis potentias, quas in deſcenſu circumamicijt, & facta † † † imitatur vitas vtẽtium animarum, & ſimul mouetur cum ipſis, motis vbique, & aliarum quidem intellectiones repræſentat ſuis circulationibus, aliarum autẽ caſus, impetubus in generationem: aliarum vero, purgationes circumductionibus in immateriale. Quoniam vero ipſo eſſe animarũ uiuificatur & eſt cõnatum illis, omnifariã mutatur cum illarũ mutationibus, & eas ſequitur quaqua verſum, & patientibus compatitur, & cum purgatis ſimul redit, & cum reductis, ſimul attollitur, appetẽs ſuam perfectionẽ. Omne enim perficitur propriam vniuerſitatem cõſequutũ.

PROPOSITIO. CCX.

OMne animæ connatum vehiculum & figuram semper eã dem,& magnitudinem habet,maius tamen,& minus vi petur,& dissimilis figura,per aliorum corporum additiones & ablationes.

DEMONSTRATIO.

SI enim a causa immobili essentiam habet, clarum est ꝙ etiam figuram & magnitudinem eam a causa habet terminatam, & est immutabile, & inalterabile vtrumque. Sed aliàs aliter apparet, & maius & minus. Per alia ergo corpora,a materialibus elementis addita,& rursus ablata, tale,vel tale,& tantum,vel tantum apparet.

PROPOSITIO. CCXI.

OMnis particularis anima descendẽs in generationem, tota descendit. Neque ipsius, aliud sursum manet, aliud descendit.

DEMONSTRATIO.

SI enim aliquid animæ remanet in intelligibili, vel intransitiuè intelliget semper,vel transitiuè.Sed si intransitiuè, intellectus erit,& non pars animæ,& erit anima proximè mẽtis particeps.Si vero transitiuè,ex semper intelligente,in aliquando intelligens,vna essentia erit. Sed hoc est impossibile. Hæc enim omnia differunt,vt est ostensum. Adde quod etiam absurdum sit,animæ summitatem,cum semper sit perfecta,nõ dominari alijs potentijs,& illas perfectas facere. Omnis ergo anima,tota descendit.

FINIS.



PROCLI EIVSDEM ELEMENTA PHYSICA.

DEFINITIONES.



ONTINVA ſunt quorum termini ſunt unũ.
Contigua ſunt, quorum termini ſunt ſimul.
Deinceps ſunt, inter quæ nihil eſt generis eiuſdem.
Primum tempus motionis eſt, quod neque maius, neque minus eſt ipſa motione.
Primus locus eſt, qui neque maior eſt corpore locato, neque minor.
Quieſcens eſt, quod prius, & poſterius in eodem loco eſt, & ipſum, & eius partes.

THEOREMA. I.

DVo partibus carentia, non ſe ſe mutuo tangent.

DEMONSTRATIO.

NAm ſi id poſsibile eſt, duo impartilia A.B. tangant ſe ſe mutuo. Contigua autem erant, ea quorum termini eſſent ſimul, & in eodem. Duorum ergo impartilium, termini erunt. Non ergo impartilia erant A.& B.

THEOREMA. II.

DVo impartilia, nullum efficient continuum.

DEMONSTRATIO.

NAm ſi id poſsibile eſt; Sunto impartilia duo A. & B. & faciant continuum ex vtriſque. Sed omnia continua, ſe ſe prius tangunt. A.& B. ergo ſe ſe tangunt cum ſint impartilia, quod impoſsibile eſt.

ALI-

ALITER.

SI ex A.& B.impartibilibus, sit continuum, vel totum A. tangit totum B. Vel totum A.partem B. Vel pars ipsius A.partem ipsius B. At si totum tangat partem, vel pars partem, non erunt impartibilia A. & B. Si vero totum tangat totum, non erit continuum, sed adaptabuntur solum. Si ergo non erit A.continuum, neque B.cum A. erit cōtinuum, dum totum tangit totum.

THEOREMA. III.

IMpartilium quæ sunt in continuo, quod inter vtrumque est, continuum est.

DEMONSTRATIO.

SVnto duo impartilia A. & B.dico quòd, id quod inter A. & B.est, continuum est. Quod si non, tangit A. impartile, ipsum B.impartile, qđ est impossibile. Medium ergo inter ea, continuum est.

THEOREMA. IIII.

DVo impartilia, non sunt sibi mutuo deinceps.

DEMONSTRATIO.

SVnto namque duo impartilia A.& B.dico quod A. nō erit deinceps ipsi B. Cum enim sit demonstratum quòd inter duo impartilia medium cōtinuum est, medium inter ea esto C.D.& diuidatur in E.Ergo E.impartile est, & medium inter A.& B. At erat deinceps, quorum nullum eiusdē generis est intermedium. Non ergo A.& B.deinceps sibi sunt.

THEOREMA. V.

OMne continuum diuisibile est, in semper diuisibilia.

DEMONSTRATIO.

ESto namque continuum A.& B.dico quod A.B.diuiditur in semper diuisibilia. Diuidatur enim in A E. E B. Hæc sanè, vel indiuisibilia sunt, vel diuisibilia. Quod si indiuisi-

indiuisibilia, continuum erit ex impartibilibus, quod est impossibile. Si vero diuisibilia, rursus diuidantur in partes. & hæc rursus, si indiuisibilia sint, impartilia erunt continua ad inuicem. Si vero diuisibilia, diuidentur & hæc, & hoc in infinitum. Omne ergo continuum diuisibile est in semper diuisibilia.

THEOREMA. VI.

SI aliqua magnitudo fuerit ex impartilibus, erit quoque motus qui super ea fit, ex impartilibus.

DEMONSTRATIO.

ESto magnitudo A. B. C. ex impartilibus ipso A. & ipso B. & ipso C. dico quòd etiam motus factus super magnitudine A. B. C. ex impartilibus erit.

Sumatur namque super ea motus D. E. F. & hic sit motus. motum autem sit G. & moueatur G. Secundum D. Super A. & secundum E. Super B. & secundum F. super C. Ipsum autem D. Vel impartile est, vel partile. Esto, si sit possibile, partile. & diuidatur in duas partes. Prius ipsum G. mouetur dimidium quàm totum, mouetur autem super A. partibile ergo & ipsum A. Sed erat impartile. ergo & D. impartile est. Similiter sanè ostendemus, quòd etiam E. & F. impartilia sint, &c.

THEOREMA. VII.

SI motus fuerit ex impartilibus, etiam tempus ipsius motus ex impartilibus erit.

DEMONSTRATIO.

ESto sanè motus A. B. C. ex impartilibus ipsis A. B. C. Tēpus autem motus ipsius A. B. C. sit D. E. F. dico, quòd ēt ipsum ex impartilibus est.

Sumatur namque id quod mouetur, & sit G. & moueatur secundum A. in ipso D. secundum autem C. in F. dico quòd ipsa D. E. F. impartilia sunt. Nam si diuisibile est ipsum D. in quo fertur A. diuidatur. In dimidio ergo tempore pars mouetur, & nō totum A, diuisibilis ergo, & ipse motus A. est. Sed erat

erat indiuisibilis. Similiter vero ostendemus, quod & motus E. & F. indiuisibilis sit.

PROPORTIO MOTVVM.

THEOREMA. VIII.

QVæ inæquali velocitate mouentur, quod uelocius est in æquali tempore, maius spacium mouetur.

DEMONSTRATIO.

SVnto enim, quæ inæquali velocitate moueãtur, velocius quidem A. tardius autem B. & moueatur A. ab C. ad D. in tempore F.G. & quoniam B. tardius est in tempore F.G. non perueniet a C. ad D. Velocius enim est, quod prius ad finem peruenit. Tardius enim quod posterius. Moueatur ergo in tempore F. G. ita ut ad E. perueniat, in eodem ergo tempore ipsum A. motum est per B.C.D. & B. motum est E C. maior autem est ipsa C D. quàm ipsa C E. Velocius ergo in eodem tempore maius spacium, mouetur.

THEOREMA. IX.

SI moueantur ea quę sunt inęqualis velocitatis, quædam tempora sumentur, maius quidem tardioris, minus vero velocioris, in quibus, quod velocius est maius spacium, mouebitur. tardius autem, spacium minus.

DEMONSTRATIO.

SVnto enim, inęqualis velocitatis A. & B. & A. quidē uelocius B. vero tardius. Cumque velocius in eodem tpe maius mouetur, in tpe F G. ipsum A. moueatur spacium C. D. ipsum autem B. spaciuui C.O. & quoniam ipsum A. in toto F.G tpe motum est spaciũ C D. in minore tempore spacium C O. mouebitur, quàm sit tempus F.G. Sumatur ergo tempus minus, & esto F K. quoniam A. in tempore F. K. motum est spacium C.E. ipsum autem B. in tempore F G. motum est, spaciũ C. E maius autem est spacium C. O. quàm C. E. & maius est tempus F G. quàm tempus F K. in quibus, ipsum A. motum est maius spacium C O. ipsum vero B. minus spacium C E. quod oportuit facere.

THEO-

THEOREMA. X.

EOrum quæ inæquali mouentur velocitate, velocius, in minore tempore pertransit spacium æquale.

DEMONSTRATIO.

SVnto inæquali velocitate mota, velocius quidem A. quàm B. moueaturque A. in tempore F G. spaciũ C D. ipsum vero B. in eodem tempore, minus spacium C E. Quoniam in toto tempore F. G. ipsum A. motum est spaciũ C D. minus spacium C E. in minore tempore mouebitur. Moueatur in G. K. ipsum autem B. spacium C E. in tempore F G. mouebatur. Maius autem est tempus F G. tempore G K. æquale ergo spacium C E. ipsum A. in minore tempore mouetur, ipsum autẽ B. in maiore.

ALITER.

ESto A. velocius quàm B. & moueatur B. spacium C E. in tẽpore F G. Sanè A. vel in eodem tempore mouetur spaciũ C E. vel in maiore, vel in minore. Sed si in eodem, erit æqualis velocitatis. Si vero in maiore erit tardius. At suppositum est esse velocius. In minore ergo tempore A. mouebitur spacium C E. quod oportuit demonstrare.

THEOREMA. XI.

OMne tempus in infinitum diuiditur, & omnis magnitudo, & omnis motus.

DEMONSTRATIO.

ESto ipsum A. Velocius ipso B. & hoc B. moueatur in tempore F. G. spacium C D. Cumque sit demõstratum quod velocius in minore tempore transit spacium æquale, ipsum A. idem spacium C D. in minore tempore quàm sit F G. transibit, & erit diuisibile hoc tempus F G. Diuidatur in H. Quoniam autem ipsum A. transit in tempore F. H. (quod itidem est demonstratum) quòd in æquali tempore spacium maius mouetur id quod est velocius., & quod est tardius, mouetur spacium minus, diuidetur ergo spacium C. D. Diuidat̃ in pũcto K. Rursus quoniam ipsum B. spacium C k. transit in tempore F H. ipsum A. idem spacium transibit in tempore minore, vt est demonstratum. Diuidet ergo tempus F H. Atque ita semper ostendetur tempus diuisum per velocius, per demõstratum in præcedente, & per tardius diuidetur spacium, vel magnitudo, per Theorema octauum.

Sed enim si hæc diuisibilia sunt etiam motus in infinitum diuiditur. Demonstratum enim est, ꝙ si motus sit ex impartilib. ét tempus. Sin autem hoc, in infinitum diuiditur, etiam motus eodem modo, quod demonstrare oportuit.

THEOREMA. XII.

IN terminato tempore, moueri in infinitum non est.

DEMONSTRATIO.

NAm si possibile sit in terminato tempore C D. moueri spacium infinitum, F E. diuidaturque tempus C D. bipartito in puncto k. in tempore C k. mouetur ipsum A. vel totum F E. spacium, vel partem eius. Sed totum moueri est impossibile, namque in C D. tempore, mouetur aliquid ipsius F E. non enim totum, vt est ostensum. Moueatur ipsum L. M. in tempore C D. spacium F E. Motum ergo est, terminatum in terminato. Et clarum est, etiam esse impossibile infinitum in tempore C D. posse moueri. Namque totum & partem, est impossibile in eodem tempore moueri.

CORRELARIVM.

EX hoc sanè clarũ est, quòd sicuti tota magnitudo seu spacium, se habet ad suam partem, ita etiam motus totius, tempus, se habet ad tempus partis, in ijs quæ æquali velocitate mouentur.

THEOREMA. XIII.

TErminata magnitudo nulla mouebitur in infinito tempore, &c.

DEMONSTRATIO.

SIt enim A. quod mouetur magnitudinem terminatam B C. tempusque motus infinitum D E. Diuidatur B C. magnitudo bifariam. Ipsum A. mouetur dimidium ipsius B. C. Atque hoc, vel in infinito, vel in finito tempore. Moueatur prius in infinito. Sed omne quod continuè mouetur in maiore mouetur totum, quàm pars. Ergo A. totum B. C. in maiore tempore mouebitur, quàm infinito, non ergo in infinito, ergo in finito. Sumatur finitum tempus K. L. rursus reliquum dimidium ipsius B C. mouetur ipsum A. Sed non in infinito tempore. Sed in finito ob eandem rationem. Ponatur ergo finitum tempus L. M. in K. L. ergo & L. M. ipsum A. mouetur

uetur ſpacium B C. non ergo in infinito tempore, ſed in finito. Quod demonſtrare oportebat.

THEOREMA. XIIII.

DAto in ratione ſeſquialtera velociore ad tardius, demõſtrare quod lineæ indiuiſibiles non ſunt.

DEMONSTRATIO.

ESto velocius A. ipſo B. in ratione dicta, & ſumantur tres indiuiſibiles lineæ C.D.E. duæ vero F.G. in æquali tẽpore. Seſquialtera enim ratio eſt velocitatis ad velocitatẽ. Eſto namque tempus k.L.M. Quoniam demonſtratum eſt, quòd ſi magnitudo ſit ex impartilibus, etiam motus ex talibus & tempus. Sumantur etiam partes temporis ipſæ K.L.M. Ergo ipſum A. in ipſis K.L.M. pertranſit ipſa C.D.E. Sed & ipſum B. in ijſdem pertranſit ipſas F.G. Diuidetur ergo tempus K. L.M. in motum ipſius F. & G. Diuidatur. Erit ergo diuiſibile ipſum L. indiuiſibile, quod impoſsibile eſt. Cumque velocius in toto tempore K.L.M. tranſit ipſa C.D.E. in dimidio, tranſit dimidium. Diuidetur ergo ipſa linea D. Sed erat indiuiſibilis, quod eſt impoſsibile.

THEOREMA. XV.

IPſum nunc, idem eſt in præterito, & futuro tempore.

DEMONSTRATIO.

SI poſsibile eſt, eſto aliud, veluti A. & B. hęc autem nõ ſunt deinceps inter ſe, vt prius eſt demonſtratum. Sin autem vtrumque eſt ſeorſum, inter vtrumque erit tempus diuiſibile in infinitum, ut eſt oſtenſum. Diuidatur ergo tempus A.B. in puncto C. Sanè ſi ipſum A. terminus eſſet totius pręteriti, & ipſum B. principium totius futuri, non erit in medio ipſorum præteritum & futurum. Sed tempus A.B. diuiſum eſt in puncto C. Itaque eius aliud eſt præteritum, aliud futurum, quod eſt impoſsibile. Idem ergo Nunc, & in præterito, & in futuro.

THEOREMA. XVI.

IPſum Nunc partibus caret.

DEMONSTRATIO.

NAm si idem est Nunc in pręterito, & in futuro, partibus caret. Nam si diuisibile esset, eadem accidēt, & erit præteriti aliquid in futuro, & futuri in præterito. Quod est impossibile. Ergo ipsum Nunc est impartile.

THEOREMA. XVII.

OMne quod mouetur, in tempore mouetur.

DEMONSTRATIO.

SI possibile sit, moueatur aliquid in ipso nunc, & hoc quidem velocius esto, illud tardius. Ac prius moueatur quod tardius est spacium A.B. Velocius vero, si moueatur idē spacium in minore mouebitur. Diuiditur ergo ipsum Nūc. Sed erat indiuisibile, vt est demonstratum. Non ergo in ipso Nūc mouetur quippiam. Omne ergo quod mouetur in tempore mouetur. Sed velocius moueatur in ipso Nunc. Vel ergo spacium impartile mouetur, vel partile. Sed ostensum est, non dari lineam indiuisibilem. Partile ergo moueatur spacium A.B. hoc diuidatur in puncto C. Velocius ergo, totum spacium A.B. si motum est in ipso Nunc, spacium A.C. in minore mouebitur. Partile ergo est ipsum Nunc, quod est impossibile, &c.

THEOREMA. XVIII.

OMne quiescens in tempore quiescit.

DEMONSTRATIO.

NAm si in ipso nunc, & non in tempore quiescit, etiam in ipso nunc mouetur. Sed hoc demonstratum est esse impossibile, non ergo quiescit in ipso nunc.

ALITER.

SI nunc, idem est in præterito & futuro, vt est ostēsū, & possibile est quiescere in præterito, & moueri in futuro, ī medio eorum non est quiescere, nec moueri. Si vero est, in eodē Nunc quiescet, & mouebitur, quod impossibile est.

THEO-

THEOREMA. XIX.

OMne quod mouetur, partibile eſt.

DEMONSTRATIO.

ESto namque aliquid quod moueatur ex A. in B. Vel ergo eſt in ipſo A. ſolum, uel ſolum in B. vel iu vtriſque, vel in neutro, vel pars eius quidem in A. pars autem in B. Sed ſi eſt in A. nondum mouetur. Si uero in B. non amplius mouetur. Sin autem in vtriſque, & nondum mouetur, & non amplius mouetur. Si vero in neutro, non erit motus ex A. in B. neque in medio ipſorum. Neceſſe ergo eſt, partẽ eius eſſe in A. partem in B. diuiſibile ergo eſt omne quod mouetur.

THEOREMA. XX.

SI partes cuiuſuis motus, fuerint partium continui alicuius, etiam totius, totus motus erit.

DEMONSTRATIO.

ESto, ipſius A. B. motus D E. ipſius uero B C. motus E F. dico quod etiam totus motus D F. erit totius A. C. Neceſſe enim eſt motum D F. vel eſſe ipſius A C. vel partiũ ipſius A. C. vel alterius cuiuſpiam. Nam cum ſit motus, alicuius moti eſt. Sed neque partium ipſius A C. eſt totus motus. (Partium namque huius, partes, motus. ſed non totus,) neque alterius alicuius. Totus namque D F motus, alterius cuiuſdam eſt motus, & partes eius partium illius erunt motus. Sed erant partium ipſius A. C. At impoſsibile eſt vnum numero motum in multis ſubiectis eſſe. Ipſius ergo A. C. eſt motus D F. quod oportuit demonſtrare.

THEOREMA. XXI.

OMne quod eſt mutatum, quando primo mutatum eſt, in eo eſt, in quod eſt mutatum.

DEMONSTRATIO.

ESto namque mutatum ipſum A. ab B. in C. dico quòd in C. eſt ipſum A. Namque vel eſt in B. vel eſt in C. vel in alio aliquo. Quod quidem in B. nõ eſt, clarum eſt, ipſum enim

enim reliquit. Sed neque in alio aliquo. Esto namque in ipso D. necesse est rursus ipsum mutari in C. non enim erat ab ipso B. mutatio in D. quod est impossibile. Non enim potest in id mutari, in quod mutatū est. In ipso C. ergo est id quod in C. est mutatum.

THEOREMA. XXII.

OMne quod est mutatum, in indiuisibili mutatum est primo, &c.

DEMONSTRATIO.

ESto ipsum A. mutatum in ipso B C. primo, dico quod indiuisibile est ipsum B C. Namque si fieri potest diuidatur in puncto D. Sanè vel in ambobus mutatum est ipsis B D. D C. vel in altero. Sed si in ambobus mutatum est, etiam in altero. Non ergo in primo ipso B. C. mutatum est, sed in B D. priore. Sed si in vtrisque mutatum est, etiam in toto supponitur mutatum. Sin autem in altero solo, nō amplius erit in ipso B. C. toto. Sed in parte eius. Nō ergo diuisibile est ipsum B C. quod demonstrare oportebat.

THEOREMA. XXIII.

NVlla mutatio, initium habet mutationis.

DEMONSTRATIO.

NAm si fieri potest, esto mutationis A B. principium mutatio A C. Si impartile sit ipsum A C. erit contiguum impartile impartili. Si uero sit diuisibile, diuidatur in A D. & D C. Si ergo in vtrisque horum mutatum est, etiam in toto mutatum est. Positum autem est, quod mutatum sit per totum. Quòd si in altero mutabatur, in altero mutatum est, non amplius in primo toto mutatum est. Quod si in vtrisque est mutatum antequàm in A C. in ipso A D. mutatum est. Non ergo initium mutationis accipi potest.

THEOREMA. XXIV.

SI mutatio fuerit secundum aliquod quantum, primum in ipso accipere non erit.

DE-

DEMONSTRATIO.

SI enim id poſsibile eſt, Eſto mutatio in A B. magnitudine. dico quòd primum in ipſo A B. accipere non eſt. Namque accipiatur forte A. C. ſi ſecundum hoc primum, mutatũ eſt. Si ſanè indiuiſibile ſit ipſum A. C. erit impartile contiguum impartili. Si vero diuiſibile, erit aliquid ipſius A C. prius in quod eſt mutatum, & illius aliud, & ita in infinitũ, non ergo aliquid magnitudinis eſt, cuius primum aliquid mutatum eſt.

THEOREMA. XXV.

SI cuiuſuis mutationis primum tempus, ſumatur in quauis temporis parte, etiam mutationis pars erit.

DEMONSTRATIO.

SVmatur namque primum tempus H. R. mutationis A. B. Quoniam omne tempus in infinitum eſt diuiſibile, diuidatur in puncto k. Vel ergo in ambobus H. k. k R. eſt mutatio vel in neutro, vel in altero. Sed ſi in neutro, neque in toto erit tpe. Si vero in altero, non iam primum tempus mutationis fuerit. In vtriſque ergo ipſis H k. K R. mutatio eſt. Quod oportebat demonſtrare.

THEOREMA. XXVI.

OMne quod mouetur, motum eſt prius.

DEMONSTRATIO.

MOueatur in primo tempore H. R. magnitudo A. B. & diuidatur primum tempus in puncto k. ergo motum eſt aliquid magnitudinis A. B. & ſanè in toto tempore H. R. mouebatur, in tempore vero H. k. motum eſt. Terminus namque temporis H. k. ipſum Nunc eſt. In hoc vero motum eſſe, poſsibile eſt. moueri autem nequaquàm. Similiter ſanè oſtẽdemus etiam tempus H. K. diuidẽtes, quòd ante moueri eſt motum eſſe. Namque Nunc in omni tempore eſt. Itaque & motum eſſe.

THEOREMA. XXVII.

OMne quod iam motum est, mouebatur prius.

DEMONSTRATIO.

ESto aliquid mutatum ex A. in B. Vel ergo in tempore mutatum est, vel in ipso Nunc. At si in ipso Nunc, simul fuerit per idem Nunc etiam in A. & in B. Nam si per alterum est in A. per alterum autem in B. erit tempus inter vtrumque, neq; enim cōtiguum est impartile impartili, in tempore ergo mutatum est ab A in B. Sed omne tempus diuisibile est. Itaq; ēt in dimidio possit mutari, & in dimidio illius dimidij, & hoc in infinitum. Omne ergo quod motum est, mouebatur prius. quod ostendere opus fuit.

THEOREMA. XXVIII.

SI quod mouetur, infinitum fuerit, non transit terminatā magnitudinem, terminato tempore.

DEMONSTRATIO.

ESto quod mouetur infinitum A. magnitudo autem terminata quam transit B. tempus vero terminatum C. Si ergo ipsum A. per B. mouetur, clarum est quod etiam B. per A. Cū que A sit infinitum, & B terminatum, mouetur per infinitū in terminato tempore. Quod est impossibile. Quando enim A. per B. mouetur etiam B. per A. Sed A per B in terminato tpe mouetur (ergo & B per A mouetur) quod est impossibile, vt demonstratum est per XII. Theorema.

THEOREMA. XXIX.

SI id quod mouetur, fuerit infinitum, nō transit infinitam magnitudinem in terminato tempore.

DEMONSTRATIO.

ESto infinitum quod mouetur A. infinita magnitudo B. tēpus vero terminatum C. Si ergo A. infinitum mouetur p B infinitum, etiam per eius partes mouetur. Sumatur pars ipsius B. ipsa D. per ipsam D. etiam mouebitur, & quoniam C. tempus terminatum est, etiam tempus ipsius D. termina-

tum eſt. Sit I. hoc tempus. ergo A infinitum, non tranſit per D. terminatam magnitudinē, in tempore finito, ipſo I. quod eſt impoſsibile. Vt in præcedente eſt oſtenſum. Ergo infinitū per infinitum non mouetur in terminato tempore, quod demonſtrare oportuit.

CORRELARIVM.

EX hiſce clarum eſt, quod motus infinitus non eſt. niſi vt multoties fiat idem. Vel enim infinitum per finitum mouebitur, vel infinitum per infinitum. Si quidem motus ſit infinitus. Hæc autem omnia impoſsibilia ſunt. Non ergo eſt infinitus motus.

THEOREMA. XXX.

OMne quod per locum mouetur, totum in ipſo Nunc fit per primum locum.

DEMONSTRATIO.

NAmque ſi non in ipſo Nunc, ſed in tempore, fiat in tempore A.B. in primo eius loco, & diuidatur tempus A.B in A.C.C.B. Prius ergo ipſum A.C. ipſo C.B. Sed in toto primo loco eſt, quod mouetur ipſum A.B. Prius autem, & poſterius in eodem loco exiſtens quieſcit. Id ergo quod mouetur quieſcit, quod eſt impoſsibile. In ipſo ergo Nunc eſt id, quod mouetur, per primum locum.

THEOREMA. XXXI.

OMne impartile in quanto, immobile eſt per ſe.

DEMONSTRATIO.

MOueatur ſi poſsibile eſt, A impartile in quanto. A B in C. Quoniam omne quod mouetur in tempore mouetur, per id tempus in quo mouetur, vel in B eſt, vel in C. totū. Vel eius hoc quidem in B. hoc autem in C. Sed ſi totum in B. nondum mouetur, ſed quieſcit. Sin autem eius, hoc quidem in B. hoc autē in C. partes habebit. Non ergo mouetur quod impartile eſt. Quod oportuit demonſtrare.

ALITER.

ESto A impartile,& moueatur per B. Quoniã omne quod mouetur,antequam maior eius pars moueatur, æqualis vel minor mouetur. Ergo & A.Similiter mouebitur. Sed si maior & minor eius mouetur, partes habebit. Si vero æquale,erit B ex impartilibus, quod est impossibile. Vt est ostensum.Non ergo impartile mouetur.

THEOREMA. XXXII.

QVod impartile est,æquale sibi non mouetur.

DEMONSTRATIO.

SI possibile est,moueatur,& esto tempus motionis ipsa A. B.Quoniam omne tempus diuisibile est diuidatur A B.in A C.C B.in tẽpore A C.ergo minus mouebitur, id quod mouetur,impartile.Sed in A B.æquale sibi mouebatur. Id vero quod impartili æquale est impartile quoque est.Erit ergo aliquid minus impartili.Quod est impossibile. Non ergo impartile,æquale sibi,mouebitur.

FINIS PRIMI LIBRI.



PROCLI



PROCLI EIVSDEM

ELEMENTORVM PHYSICORVM.

LIBER II.

SVPPOSITIONES.



MNE corpus physicum mobile est per locum.
Omnis motus localis, vel est circulo, vel rectus, vel mistus, ex hisce.
Omne corpus physicum, vnum horum motuũ mouetur.
Omne corpus physicum, vel simplex est, vel cõpositum.
Omnis simplex motus, simplicis corporis est.
Omne corpus simplex, vnum mouetur scđm naturam motum.

DEFINITIONES.

RAtionem mutuam habere uelocia dicuntur, eandẽ, quam habent spacia per quæ mota mouentur.
Graue est, id quod ad medium mouetur.
Leue est, id quod a medio mouetur.
Circulo moueri dicitur, id quod ab eodem in idem fertur continuè.
Contrarij motus sunt, ij qui a contrarijs in contraria fiunt.
Vnum vni contrarium est.
Tempus est numerus motionis cœlestium corporum.
Vnus motus est, is qui specie est indifferens, & vnius subiecti, & in continuo tempore fit.

THEOREMA. I.

QVæ circulo mouentur, secundum naturam, simplicia sunt.

DEMONSTRATIO.

ESto quod secũdum naturam circulo mouetur A.B. Dico qđ simplex est. Qm̃ motus circularis simplex motus est, omnis autẽ simplex motus simplicis corporis est, corpus ergo A B.Simplex est.Quæ ergo circulo mouent̃,simplicia sũt.

THEOREMA. II.

QVæ circulo mouentur secundũ naturã,neque ijs quę recta mouentur,neque ijs quæ ex his cõstãt,eadẽ sunt.

DEMONSTRATIO.

ESto id qđ scđm naturam circulo mouetur A B.Dico,quod ijs quæ recta mouentur,non est idem.Nam si alicui istorũ idem sit,vel sursum secundum naturam mouetur, vel deorsum. Sed omne corpus simplex vnum secundum naturã simplicem motum mouetur.Non ergo alicui eorũ quæ recta mouentur, idem est, id quod secundũ naturã circulo mouetur. Sed neque compositorũ alicui.Demonstratum.n.est,quod id quod circulo mouetur secundũ naturã,oẽ simplex est. Sed ꝙ ex ijs quæ recta mouentur constat cõpositum est. Ergo A.B. secundũ naturã circulo motũ, neque ijs quæ recta mouẽtur, neque ijs quæ ex his composita sunt,idem est.

THEOREMA. III.

QVæ circulo secundum naturam mouentur, neque grauitatem,neque leuitatem participant.

DEMONSTRATIO.

ESto A B.circulo secundũ naturã motũ.dico qđ neque grauitatem,neque lęuitatẽ participant. Si em̃ A B est graue, vel leue,vel ad mediũ,vel a medio mouetur secundũ naturã. Suppositũ em̃ est,hoc esse graue qđ ad mediũ mouetur, & qđ a medio,esse leue.Sed qđ ad mediũ,vel a medio mouetur,eorum quæ recta mouentur alicui idem est.Ergo A B.eorũ quæ recta mouentur alicui, idem est , & circulo secundum naturam mouetur,quod est impossibile.

THEOREMA. IIII.

CIrculari motui,nihil est contrarium.

DE-

DEMONSTRATIO.

NAmque si possibile est,esto circularis motus ab A.in B. & huic contrarius motus, vel aliquis ex ijs qui p rectã fiunt,vel circularis. Si ergo motus sursum contrarius est circulari motui,& motus deorsum,& circularis,vnus erunt. Si vero cõtrarius sit motus deorsũ,is qui sursum est, & circularis ijdẽ sunt ad inuicẽ. Vni eñ motui vnus motus est cõtrarius in opposita loca.Sin aũt motus ab A contrarius est motui qui est a B inter duo cõtraria erunt spacia infinita.Namque inter puncta A.B.infinitæ circunferentiæ describentur. Sed esto semicirculus A B.& motus ab A.ad B.cõtrarius motui a B.ad A.Si quod mouetur ab A ad B.Semicirculum,sistit super B.nũquàm erit motus circularis. Nãque circularis motus erat ab vno puncto ad idẽ punctum continuè. Si vero & alter semicirculus mouebitur continuè, nõ erit contrarium A ipsi B.Quod si nõ hoc,neque motus ab A.cõtrarius est motui ad B.Contrarij eñ motus, a contrarijs ad contraria fiũt. Sed esto sanè circulus A.B.C.D.& sit motus ab A in C.cõtrarius motui a C.ad A.Si id quod mouetur ab A.omnes similiter pertransit locos,& vnus motus ab A. ad D.non est cõtrariũ ipsum C.ipsi A.Quod si hæc cõtraria non sunt, neque motus ab ijs,contrarij erũt.Similiter ẽt id qđ a C. mouet,si unũ motum mouetur ad B nõ est contrarium ipsum A. ipsi C.Itaque neque motus qui ab ijs sunt,contrarij erunt.

THEOREMA. V.

QVæ circulo secundum naturam mouentur,nec generationem,nec corruptionem suscipiunt.

DEMONSTRATIO.

ESto A.B.qđ circulo mouetur,secundũ naturã, dico qđ ingenitũ est,& incorruptibile.Nã si genitũ, & corruptibile est,ex cõtrario gignitur,& a cõtrario cõrrũpitur.Sed qđ circulo mouetur contrariũ nõ habet.Ingenitũ ergo est,& incorruptibile.Quòd aũt contrariũ nihil est ijs quæ circulo mouẽtur secundũ naturã,ex præcedente demonstrato,clarum est, Contrariorũ nãque ẽt motus sunt contrarij. Circulari autẽ motui nihil contrarium est,vt est ostensum, non ergo id qđ

secun-

ſecundum naturam circulo mouetur generationem habet, vel corruptionem.

THEOREMA. VI.

OMne quod circulo mouetur, terminatum eſt.

DEMONSTRATIO.

NAmque ſi poſsibile eſt, ſit circulus aliquis A.B. infinitus a centro, & ſumatur C. centrum circuli A.B. & a centro lineæ C.A. & C.B. ergo lineæ C.A. & C.B. infinitæ ſunt. Itaque & quod inter ipſas eſt anguli infinitum eſt. Nam ſi terminatum eſt, erit poſsibile proferre angulos A C. & B C. in vnā diſtantiam ex A.B. Sed hoc eſt impoſsibile. infinitæ enim ſunt lineæ a centro. infinitus ergo etiam angulus A.C.B. Quod ergo ab A mouetur, numquā pertranſibit ſpacium A.B. Sed ſanè quod circulo mouetur, in idem reuertitur; Non ergo infinitum eſt.

ALITER.

ESto qđ circulo mouetur A.B. infinitū, & ſumatur intra A.B. angulus terminatus C D. Si ergo A.B. incipiēs ab A. veniet in idem, & redibit in idem cum ſit infinitū, angulū C.D. terminatum in terminato tempore. Omnes enim partes ipſius A.B. per angulum C D. venient. hoc autem eſt impoſsibile. Oſtenſum enim eſt in primo, quòd infinitum, non tranſit per finitum in terminato tempore.

THEOREMA. VII.

INfinitorum ſecundum magnitudinem corporum potentiæ ſunt infinitæ.

DEMONSTRATIO.

ESto corpus infinitum A.B. potentia autem eius terminata C. & ſit grauitas, & deſecetur ab infinito A.B. pars B D & eſto huius corporis B. D. grauitas E. Grauitas ergo E vel menſurat grauitatem C. vel non menſurat. Menſuret primò. Quotieſcunque grauitas E menſurat ipſam C. toties ipſum B D corpus menſuret ipſum A B. infinitum. Erit ergo, vt ſe habet E ad C. ita ſe habebit C D. ad A B. & permutatim, vt ſe habet E ad B D. ita ſe habebit C. ad A.B. Ipſa autem grauitas E erat ipſius B D. ergo & C. erit ipſius A B. erat autem ex toto ipſo A.B. Eadem ergo eſt, & æqualis potentia infiniti & terminati. Quod eſt impoſsibile. Sumatur enim ipſius B.Z. pars

B I. Ergo ipſum I Z. grauitatem, vel habet, vel non habet. Qui ſi grauitatem non habet, neque in infinito erit grauitas, ſed in eius parte. Si verò habet aliquam grauitatē ipſum B I. grauius erit ipſo B.Z. maior ergo grauitas ipſius I B. quàm ipſius C. Sed grauitas C. erat infiniti grauitas. Partis ergo grauitas, maior quàm totius & infiniti. Non menſuret autē grauitas E ipſam grauitatem C. Si ergo aliquid relinquitur non menſuratum, ſi multoties ſumatur erit totius C. Nam ſi bis, menſurat ſolum, & ter & quater, & ſic in infinitum. Sumātur ergo ipſius B.D. tot magnitudines ponderis ęqualis, quot tota E. ſumpta ſuperat ipſam grauitatem C. & ſunto ex hiſce B.Z. hoc ergo B Z. vnam habet grauitatem C. Sed grauitas C. erat ipſius A B. Ergo pars maiorem habebit grauitatem, toto & infinito. Idem ſermo, & ratio eadem in leuitate, & omni alia potentia. Non ergo infinitorum corporum potentiæ terminatæ ſunt.

THEOREMA. VIII.

COrporum magnitudine terminatorum, potentiæ non ſunt infinitæ.

DEMONSTRATIO.

SI poſsibile eſt, eſto potentia infinita B. corporis terminati A. & ſumatur pars dimidia ipſius A. ipſa C. & huius potentia ſit D. Neceſſe ſanè eſt C. minorem potentiam eſſe ipſa B. Pars namque minorem potētiam habet, quàm ipſum totum. Fiat ergo. vt C. ad A. ſic D menſurabit B. terminata ergo eſt etiam B potentia, & eſt vt C ad A ita D ad B. & permutatim, vt C ad D. ita A ad B. Ipſa autem D potentia magnitudinis C. eſt. ergo & potentia B. erit magnitudinis A. Ergo magnitudo A. terminatam habet potentiam B. Sed erat infinita, qđ eſt impoſsibile. Nāque eiuſdem ſpeciei potētiā terminatam, & infinitam eſſe in eodem eſt impoſsibile.

THEOREMA. IX.

EOrum quæ inæquali velocitate mouentur potentiæ, inęqualiter reſpondent motuum temporibus.

DEMONSTRATIO.

SVnto, quæ inæqualiter mouentur A B. & moueatur quidem A tardius ſpacium C I. ad C E. & quoniam B in tempore D R. mouetur, ſpacium C E. in minore mouetur ſpacium C I. Nam & hoc eſt oſtenſum. Moueatur in D Z. Quoniam

niam B.in tempore D.R. mouetur ſpacium C. E. in tpe autẽ D Z.ſpacium C.I. Eſt ergo ut C.E.ad D.R. ſic C.I.ad D.Z. & permutatim,vt C.E.ad C.I.ſic D. R.ad D Z. Erat autem ut B. ad A.ſic C E ad C I.Eſt ergo ut B ad A.ita D R.ad D.Z.Sed A mouetur ſpacium C I.in tempore D R. & B idem ſpacium in tempore D Z.Ergo eorum quæ inęquali tempore mouentur potentiæ,reſpondent temporibus motuum.

THEOREMA. X.

INfinita grauitas, vel læuitas,non eſt.

DEMONSTRATIO.

NAm ſi poſsibile ſit,eſto infinita grauitas A.& moueatur corpus eam habens,ſpacium B. Qm̃ oẽ qđ mouetur in tempore mouetur,vt eſt in primo demonſtratum,ẽt A moue bitur in tempore ſpaciũ B.Sit tempus C.& finitam potẽtiam habens D.moueatur per B.& tempus motus ſumatur E.maius ergo tempus E. ipſo tempore C. Nam maior potẽtia idẽ ſpacium in minore tempore mouetur. Cumque id quod infinitam habet potentiam mouetur in tempore C. & id quod finitam habet in tempore E.Eorum vero quæ inæquali velocitate mouentur reſpondent potentiæ temporibus motuũ: eſt ergo vt ſe habet,id quod habet infinitã grauitatem ad id quod eam habet finitam, ita ſe habet tempus E ad C. terminatum:quod eſt impoſsibile. Infinitum namque nullam rõnem habet ad finitum, neque multo magis hanc habet rõnẽ ſi ſit finitum.Eadem autem rõ eſt etiam de leuitate. Non ergo eſt infinita grauitas,nec leuitas.

THEOREMA. XI.

NVllum infinitum a finito pati poteſt.

DEMONSTRATIO.

ESto nãque infinitũ A. finitũ vero B. & patiatur A. ab ipſo B.in tpe C.& ſumatur minus ipſo B.ipſum D.in eodẽ tpe C.agens,potentiã ſimilẽ habẽs ipſi B.Minus ergo aget in eodẽ tpe agẽs cum ipſo C.Minus namque quod eſt,minus mouet,quàm maius.Eſto ſanè E.minus patiens a D.& fiat,ut D. ad B.Ita E ad aliud quid Z. Cumque ſit, ſicut potentia D ad poten-

potentiam B(actiuæ enim sunt potentiæ huius)ita E.ad Z.& permutatim,sicuti D.potentia ad magnitudinem E.ita potẽtia B ad magnitudinem Z. Sed potentia D.mouit magnitudinem E in tpe C.ergo & potentia B.mouebit in eodem tempore.Sed supponebatur infinitum,quod erat A.in tpe C.mouere potentia B.In tpe ergo æquali, maius & minus, mouet eadem potẽtia,finitum & infinitum,qđ impossibile est. Maius namque in maiore, & minus in minore, & æquale in æquali ab eodem patitur.Non ergo infinitum a finito pati potest.

THEOREMA. XII.

NVllum terminatum,ab infinito pati potest.

DEMONSTRATIO.

NAmque si possibile est ab infinita potentia A. finitũ aliquod B Z.patiatur,in tempore C.& sumatur infinita potentia D.& esto eiusdem speciei cum A. Hæc sanè potẽtia in tpe C.minus aget quàm B Z. Agat in Z.quod est minus quã Z.B.& fiat sicuti Z ad B.Sic D potentia ad potentiam E.Cumque sicuti Z ad B Z. sic D ad E. & permutatim sicuti Z ad D. ita B Z ad E. At Z ab D potentia patitur in tempore C. ergo B Z.a potentia E in eodem patietur tempore.Ergo E potentia motiua est ipsius B Z.in tempore C.At erat ipsius B.Z.potentia A.quæ erat infinita,& potentia D erat finita in eodem tempore motiua.in tempore ergo æquali infinita potẽtia, & etiam finita mouent idem,quod est impossibile.

THEOREMA. XIII.

NVllum infinitum ab infinito pati potest.

DEMONSTRATIO.

NAm si possibile sit,Esto A aliqđ agẽs infinitum,patiẽs autem infinitũ B.& tp̃s C D in quo A.agit & B.patit̃, & qm̃ A.in totum B.egit in toto C.D. tpe, in partem eius in minore aget.Esto ergo pars ipsius B.ipsum E.& tempus D. in quo in illud agit A.& fiat sicuti D tempus,se habet ad C.D.tẽpus sic E ad Z partem ipsius B.nam cum tpe sint terminata,& terminatum sit ẽt E.possibile est accipere, sicuti se habet D ad tp̃s C.D.sic E.T. ad aliam terminatã partẽ ipsius B. quod est

infinitum. Sumatur ergo & esto Z. Erit ergo sicuti D. tempus ad C D. ita E ad Z. & permutatim, sicuti D tempus ad E, sic C D tempus ad Z. Sed tempus D. Sic se habet ad E, vt E in tempore D. patiatur ab A. Ergo & C. D. ita se habebit ad Z. vt Z. in tempore C D. patiatur ab eodem. Sed suppositum est etiã totum B. infinitum in tempore C D. pati. Ab eadem ergo potẽtia mouetur pars, & totum, & infinitum, & finitum in eodem tempore. Quod impossibile est.

THEOREMA. XIIII.

Simplicia corpora, terminata sunt secundum speciem.

DEMONSTRATIO.

Esto nãque corpus simplex magnitudo A. Qm̃ corpus simplex motu simplici mouetur: ergo A. simplici mouet motu. Ac si circulari unam habet naturam, & vnam speciem. Si vero eorum sit q̃ recta mouentur, si a medio solum, erit ignis. Si vero ad medium solum, erit terra. Si vero ad aliud sit leue & ad aliud graue, erit aliquod de medijs elementis. Ergo formæ corporum simplicium terminatæ sunt.

THEOREMA. XV.

Nullum corpus sensibile infinitum est.

DEMONSTRATIO.

Nam si possibile sit. Esto corpus sensibile infinitum A. Quoniam omne corpus physicum, vel simplex est, vel cõpositum, esto prius simplex. Cumque omnis simplicis corporis etiam motus simplex est, ergo motus ipsius A. simplex erit, & qm̃ motus simplices duo tm̃ sunt rectus, & circularis ergo & A. vel circulo mouebitur, vel recta. Sed si circulo mouetur non est infinitum, vt est demonstratum. Sin aut recta, si deorsum grauitatem habebit infinitam. Si uero sursum infinitam leuitatem, nam & hoc est demonstratum, ꝙ infinitorum corporum, motrices potentiæ sunt infinitæ. Sed impossibile est grauitatem, vel leuitatem infinitã esse. Sicuti & hoc est demonstratum. Nõ ergo in rectum mouetur A corpus infinitum. Demonstratum autem est, quòd neque circulo. Nõ ergo est eorum quæ simplici motu mouetur, neque ergo simplex

plex est. Omne enim simplex motum simplicem mouebatur secundum naturam. Esto ergo A. compositum corpus. Sed si compositum est, vel ex finitis est, vel ex infinitis. Si ergo ex finitis, & numero, & magnitudine, & ipsum finitum est. Sin autem ex infinitis, vel numero infinitis, vel magnitudine, vel vtrisque. Sed numero non sunt infinitæ formæ simpliciũ corporum, vt est ostensum. Relinquitur ergo magnitudine esse infinita. Sed si eorum quæ circulo mouentur erit simplex, esse terminatum demonstratum est. Si vero eorum est, quæ recta mouentur, & hæc demonstratum est esse finita. Ergo corpus A. nullo modo est infinitum, neque simplex ergo, neque compositum.

ALITER.

Esto corpus infinitum A. & sensibile. Q̃m est infinitum, potentiam habet infinitam. Est enim ostensum. Sed si infinitam potentiam habet, vel agentem habebit, vel pasſiuã. Sed si agentem, vel in finitum aget, vel in infinitum, & si pasſiuã, vel a finito patitur, vel ab infinito. Ostensum autem est, ꝙ infinitum agere nõ potest in infinitum, nec in terminatum, neque ab eis pati. Non ergo est infinitum, corpus A naturale. Omne enim corpus naturale habet potentiam, vel actiuam, vel pasſiuam, vel ambas.

ALITER.

Esto corpus infinitũ A. si ergo A physicũ corpus est, mobile scd̃m locum erit. Oẽ aũt mobile scd̃m locũ, vel alium post aliũ transsumit locũ, vel in eodẽ mouetur. Si ergo A. in eodẽ moueat̃ circa mediũ mouebit̃, & cũ mediũ habeat nõ erit infinitũ. Sin aũt locũ mutat ex loco nõ erit vbique, sed in parte aliqua vniuersi loci. Sed infinitum est, quod quocũque, & vbique extensum est. Itaque non erit infinitum ipsum A.

ALITER.

Si A. sit eorum corporum quæ recta mouetur, vel vi mouetur, vel secundum naturam. Sed si secundum naturam ab alieno loco transit in proprium. Itaque non vbique est.

Quòd si moueatur vi. id quod vim adhibet erit ipso potentior. At infinito, nihil aliud potentius est. Infinitum namque etiam potentiam mouentem infinitam habet.

THEOREMA. XVI.

Tempus continuum est, & æternum.

DEMONSTRATIO.

Nam si non sit continuum, neque æternum, principium aliquod habet. Esto ergo tempus A B. & eius principium esto A. Hoc ipsum A, si tempus est diuisibile est, atque ita nondum temporis habebimus principium. Sed erit principij, aliud principium. Quòd ipsum nunc sit, erit impartile, & terminus alterius temporis. Ipsum enim nunc non solum principium est, sed etiam finis. Erat ergo tempus ante A. Rursus si B terminus est temporis, si B sit tempus in infinitum diuiditur, & in plurimos in se ipso terminos. Sin autē ipsum Nunc, idem erit etiam principium. Namque ipsum nunc, non solum terminus est, sed etiam finis.

ALITER.

Esto tempus A.B. Quod si non sit æternum, principium habet & finem. At si hoc, aliquando erit ens, & aliquando non ens. Quod autem tale est, in tempore est, & non est, ergo tempus erit in tempore.

THEOREMA. XVII.

Motus circularis, æternus est.

DEMONSTRATIO.

Esto circularis motus, circuli A.B. dico ꝙ æternus est. Cum enim æternum tempus sit, semper motum ēt oportet esse. Cumque tempus sit continuum (ipsum.n.nunc idem est tum in præterito, tum in futuro.) Oportet ēt motum aliquē vnum, esse continuum. tempus namque est numerus motus. Sed omnes alij motus non sunt æterni. ex contrarijs enim in contraria fiunt. Solus ergo circularis, æternus est, huic enim

nihil

nihil est contrarium. Vt est ostensum.

Quod autem omnes motus qui inter contraria fiunt, terminati sint & non æterni, demonstrabimus in hunc modum.

Esto namque motus A.B. inter contraria duo ipsa A. & B. terminatus est ergo hic motus ipsis A & B. & non infinitus. Continuus autem non est is qui est ipsius A. cum eo qui est ipsius B. Sed quãdo reuertitur id quod mouetur sistetur in B. unus namque & cõtinuus si sit is qui ab A & ab B. id quod a D. mouetur, in idem mouebitur. Frustra ergo mouebitur, cum iam sit in A. At natura nihil frustra facit, nõ ergo vnus motus est. Ii ergo motus qui inter contraria fiunt, non sunt æterni, neque enim per rectam in infinitum moueri possibile est. namque ipsa contraria termini sunt, neque cum reuertuntur, motum faciunt unum.

ALITER.

QVòd non sit continuus motus qui ab A fit ei qui a B. Nã si essent continui ad inuicem, erit motus contrarius, motui contrario, in eodem tempore circa idem. Nam qui in B est, simul etiam in ipso erit factus, & ex eo mouebitur, & vtrumque actu, quod est impossibile. Ergo id nunc, in quo factus est in B. aliud est ab eo, in quo discedit a B. differentium autem nũc, in medio tempus est, quiescit ergo, & neutro mouetur nunc.

THEOREMA. XVIII.

MOuens, æternum motum, æternum est.

DEMONSTRATIO.

ESto A. mouens motum æternum, dico ꝙ & ipsum ęternũ est. Quod si non, nequaquàm mouebit tunc cum nõ fuerit. Hoc autem non mouẽte, neque etiã motus est, qui prius fuerat. Sed supponebatur esse æternus. At nullo alio mouente erit immobile id quod æternè mouetur. Sed alio aliquo mouente, motus non est cõtinuus, quod est impossibile. Qđ ergo mouet æternum motum, & ipsum est æternum.

THEOREMA. XIX.

MOuentia & mota, præcedit immobile.

DE-

DEMONSTRATIO.

ESto quod mouetur, A. ab ipso B. & hoc a C. dico quod sistetur aliquando, & non omne mouens mouetur & ipsum. Nam si possibile sit, fiat hoc; vel ergo circulo fient motus, vel in infinitum, sed si infinita sint & mouentia, & mota, erit infinita multitudo, & magnitudo. Omne enim quod mouetur partibile est, & mouet eò quòd tangat. Erit ergo id quod ex omnibus numero infinitis est, infinitum magnitudine. Sed ostensum est, quod impossibile sit, corpus vel compositum, vel simplex infinitum esse. Quòd si motus sit circulo, erit aliquid eorum quæ aliquãdo mouetur causa æterni motus, si omnia mutuo, & mouent, & mouentur circulo. Quod est impossibile. Nam id quod mouet æternum motum, æternum est. Non ergo eorum quæ mouentur, vel circulo motus est, vel in infinitum. Est ergo mouens quidem immobile, & æternum.

CORRELARIVM.

EX hoc sanè clarum est, quòd non omnia mouentur: est nãque etiam aliquid immobile, neque omnia quiescunt. Sunt enim aliqua quę mouẽtur. Neque alia semper quiescũt, alia semper mouentur sunt enim aliqua, qua aliquando quiescunt, & alia quæ aliquando mouẽtur. Veluti ea quæ ex contrarijs mouentur in contraria. Neque omnia quandoq; quiescunt, & quandoque mouentur. Est namque quod & æterno mouetur, & quòd æternò immobile est.

THEOREMA. XX.

OMne quod mouetur, ab aliquo mouetur.

DEMONSTRATIO.

ESto A. quod mouetur, dico quod A. ab aliquo mouetur. Vel enim secundum naturam mouetur, vel præter naturam. Si secũdum naturam, ipsa natura erit motor. Sin autem præter naturam, id quod vim facit, motor est. Omnis enim motus qui præter naturam fit, violentus est.

THEOREMA. XXI.

PRimum quod mouet circularem motum, impartile est.

DE-

DEMONSTRATIO.

ESto namque A.moués primum motum. neceſſe enim eſt, eſſe aliquid tale. quoniã omne quod mouetur ab aliquo mouetur. Sane ſi A. ſit primus motor, immobile erit. Omnia namque mouentia præcedit immobile. Cumque æternum moueat motum, potentiam mouendi habet infinitam, nam terminatæ potentiæ, terminatas habet etiam actiones, namque actio a potentia eſt. Itaque ſi actio infinita eſt, etiam potentia infinita eſt. Neceſſe ergo eſt, primum motorem circularis motus, vel corpus eſse, vel incorporeum. Si corpus, vel terminatum, vel infinitum. Corpus quidem infinitum non eſt. & ſi eſſet, non poſſet mouere corpus finitum, ut eſt demõſtratum. Sin uero corpus terminatum eſt, potentiam infinitam non habet, namque eorum quæ terminata ſunt magnitudine, potentiæ ſunt terminatæ, ſicuti & hoc eſt oſtenſum. Non ergo corpus eſt, id quod mouet primum motum circularem. Incurporeum ergo eſt, & infinitæ potentiæ, quod demonſtrare oportuit.

FINIS.



FERRARIAE, APVD DOMINICVM

MAMARELLVM.

M D LXXXIII.